Herrn Geh. Rat Prof. Dr.
hochachtungsvollst, ergeb
d. Vf.

De Scholiis
Ciceronis Bobiensibus.

Scripsit

Paul Hildebrandt
Dr. phil.

Berlin.
Mayer & Müller
1894.

De Scholiis
Ciceronis Bobiensibus.

Scripsit

Paul Hildebrandt
Dr. phil.

Berlin.
Mayer & Müller
1894.

MATRI OPTIMAE CARISSIMAE

FRIDERICO LEONI PRAECEPTORI DILECTISSIMO

S.

Anno huius saeculi XIV Mediolani liber in lucem prodiit Angeli Mai, cui titulus inscriptus erat: *M. Tullii Ciceronis trium orationum in Clodium et Curionem, de aere alieno Milonis, de rege Alexandrino fragmenta inedita. Item ad alias Tullianas quattuor editas commentarius antiquus ineditus, qui videtur Asconii Pediani.* e. q. s. Invenerat vir egregius in bibliotheca Ambrosiana codicem palimpsestum ex monasterio Bobiensi eo delatum, qui veterem Ciceronis commentarium ad tres illas orationes ineditas et ad Archianam, Sullanam, Plancianam, Vatinianam continebat, elatusque huius inventi gaudio demonstrare posse sibi visus est scholia Asconio deberi. Sed iam duobus annis post Niebuhrius in praefatione Frontonis [1]) hanc sententiam impugnavit permotus et indole commentarii et genere dicendi ab Asconiano diversis. Atque inde vehemens inter viros doctos certamen ortum est; nam Maius de hac adnotatione iratus acerrimam disputationem adversus Niebuhrium secundae scholiorum editioni [2]) adiunxit seque de sententia sua minime deici posse ostendit. Itaque denuo tractavit hanc quaestionem accuratius Madvigius in disputatione egregia de Asconio Pediano [3]). Hoc enim libello cum luculentissime, quae genuina quaeque subditiva inter eius scripta essent, doceret, coactus est de omnibus quae tum divulgata erant scholiis Ciceronianis verba facere. Itaque inde a pag. 142 de interpretis Bobiensis aetate atque indole iudicium

---

1) M. Cornelii Frontonis reliquiae ab Ang. Mai primum editae. iterum edidit Niebuhr. Berolini 1816.

2) M. Tullii Ciceronis VI orationum partes... ineditae cum antiquo interprete etc. editio altera. Mediolani MDCCCXVII., in qua inest commentatio de principe editione Mediolanensi.

3) De Q. Asconii Pediani et aliorum veterum interpretum in Ciceronis orationes commentariis disputatio critica. Hauniae. MDCCCXXVIII.

ita protulit, ut omnino se a partibus Niebuhrii stare indicaret. Tamen, cum eodem atque ille, quarto post Christum saeculo conscripta esse scholia existimaret, tanti pretii observationes eis inesse vidit, ut magnam illorum partem ex commentariis Asconianis desumptam esse crederet. Atque interim etiam Maius ab opinione de Asconio auctore concepta recesserat. Incredibili enim fortunae prosperitate adiutus alteram illius palimpsesti partem in codice Vaticano repperit, in qua etiam commentarius ad Milonianam extabat diversus ab Asconiano. Quare cum in classicorum auctorum tomo II[4]) reliquias scholiorum publici iuris faceret, caute nomen interpretis in suspenso reliquit, rhetorem illum perantiquum appellavit. Edita sunt deinde scholia ab Heinrichio Crameroque[5]), a Schuetzio[6]), a Beiero[7]), neque vero hi quicquam de scholiorum aetate vel indole adnotaverunt. Ac ne Orellius[8]) quidem Halmiusve[9]), quamquam multas de suo adnotationes criticas addiderunt, de his rebus accuratius quaesiverunt. Itaque cum codex post Maium non relectus esset, nostris temporibus viri docti Zieglerus[10]) Stangliusque[11]), hic Ambrosianum, ille utrumque librum inspexerunt eosque locos, quos vel ex palimpsesto relecto corrigere vel ipsi coniecturis sanare sibi visi sunt, significaverunt. Iam cum satis certis fundamentis criticis utimur tum Asconii editione egregia[12]) ita adiuvamur, ut omnes quaestiones, quae ad scholia perti-

---

[4]) Romae. MDCCCXXVIII.

[5]) cum Maii notis. Kiel. 1816.

[6]) inter opera omnia Ciceronis. Lips. 1817.

[7]) M. Tullii Ciceronis orationum . . . fragmenta edidit Beier. Lips. 1825.

[8]) in editionis Ciceronianae tomo V.

[9]) Ciceronis orationes selectae cum antiquis commentariis ed. Halm. Lips. 1845 sqq.

[10]) Musei Rhenani vol. XXVII p. 420 sqq. et programma gymnasii Maximilianei. Monac. 1873.

[11]) Mus. Rhen XXXIX pag. 231 sqq. 428 sqq. et programma gymnasii Luitpoldiani. Monac. 1894.

[12]) Q Asconii Pediani orationum Ciceronis quinque enarratio rec. A. Kiessling et R. Schoell. Berol. 1875.

nent, solvere possimus. Atque primus Gaumitzius[13]) eas tractavit ita, ut et auctores, quibus usus est interpres, enumeraret et iuris litterarumque scientiam illius illustraret. Deinde Schillingius[14]) multo accuratius de eius auctoribus et doctrina, de commentarii compositione, de tempore, quo scripta essent scholia, disseruit.

Itaque quoniam in commentationibus bonae frugis plenissimis quae aut omissa sunt aut parum pertractata mihi videntur, ipse tractanda suscipiam, sic rem agam, ut et naturam scholiorum cognoscere et corpus orationum Tullianarum, quod commentantur, quale fuerit explicare coner. Ipsam autem dissertationem sic instituam, ut

praemisso breviore capite, quo, quid nobis servatum sit ex commentario Bobiensi, ostendam,

altero quaeram, quo ordine dispositae sint orationes in scholiis tractatae,

tertio, quibus temporibus compositus sit commentarius.

---

[13]) programma gymnasii Vitzthum. 1884.

[14]) De scholiis Bobiensibus. diss. inaug. Lips. (Dresden) 1892. Inest etiam in programmate gymnasii Vitzthumensis anni MDCCCXCII.

I.

Prima igitur est quaestio de eis, quae nobis servata sunt e commentario Bobiensi. Atque orta illa est ex disputatione egregia Stanglii de scholiis Gronovianis.[1]) In illis enim cum quattuor partes plane inter se et doctrina et tempore diversas distinxisset, eam, quae apud Orellium continetur pag. $399_{,31}$—$405_{,30}$ (quam A appellat) artissimo necessitudinis vinculo cum scholiis Bobiensibus coniunctam esse contendit. Huius opinionis causae, quae ad nostram disputationem pertinent, hae sunt: magna inter scholia Bobiensa et A similitudo intercedit et in genere dicendi et in verbis ipsis eligendis componendisque; deinde etiam A optimis auctoribus utitur atque fragmenta eorum, nonnulla etiam quae aliunde non nota sunt, servavit; tum plane eodem modo atque Bobiensis Gronovianus verba graeca rhetorica saepe commentario inserit. Tamen, quamquam tanta inter eos similitudo intercedit, dubitat Stanglius, utrum ex ipsis scholiis Bobiensibus desumpta sit pars Gronovianorum A an ab alio ad eorum exemplar conficta.

Ab hac Stanglii sententia Gaumitzius ita dissentit, ut omnia illa scholia A ab uno homine originem ducere putet, alteram vero partem ($399_{,31}$—$402_{,23}$) in formam redactam esse longius a Bobiensibus remotam, alteram ($402_{,24}$—$405_{,29}$) propius ad ea accedere. Atque etiam, qui nuper de Servio et Pseudo-Asconio disseruit, Gessnerus[2]) ad Stanglii sententiam accessit.

Videamus nunc, quid rei sit. Traditus nobis est scho-

[1]) Der sogenannte Gronovscholiast zu 11 ciceronianischen Reden. Leipzig-Prag 1884. p. 10 sqq.

[2]) Servius und Pseudo-Asconius. Zürich 1888.

liasta Gronovianus uno codice Leidensi, de quo accuratissime Stanglius (p. 3 sqq. cf. p. 69.) exposuit. Ex eis, quae disseruit elucet in libro manuscripto plerumque ordine confuso scholia inesse ad divinationem, Verrinarum actionem primam, actionis II librum I, deinde ad alias, quae huc non pertinent orationes. Ipse etiam demonstravit minime uni scholiastae omnia tribuenda esse, sed adnotationes plane inter se diversas, quae in margine codicum scriptae erant, hoc uno libro coniunctas esse a librario. Haec cum egregie a viro docto explicata sint, tamen de illis duabus partibus quasi ab uno eodemque homine scriptis disputavit. Pertinent autem scholia $399,_{30}$—$402,_{23}$ ad caput I et II actionis in Verrem II libri I; $402,_{24}$ incipit ab interpretatione capitis XVI. Itaque cum multo verisimilius sit a diversis auctoribus haec conscripta esse quam ab uno eodemque, ne Stanglius quidem suam mihi sententiam persuadere potuit. Ac primum quidem iam Gaumitzius animadvertit virum doctum omnia fere exempla, quibus sententiam probare vult, ex posteriore parte desumpsisse atque suo iure plurima reiecit ex eis, quae de priore adnotaverat. Tamen nonnulla nondum infirmavit, quae ne minimam quidem vim probandi habent. Quod enim Stanglius verbum *moraliter* pariter in utroque reperiri contendit, id apud Bobiensem non invenitur; eo quem laudat loco ἐν ἤθει scriptum est.[3]) Deinde quod Gaumitzius concedit quandam inter A et Bobiensia similitudinem his significari: $400,_{16}$ *status coniecturalis* $401,_{1}$ μεταφορά $402,_{16}$ *offensionem incido*, verba rhetorica in omnibus scholiis inveniuntur, *offensionem incidere*, quocum comparat Stanglius $360,_{15}$ *odium incurrere*, minime Bobiensi convenit. Hic enim ubique *offensae* vocabulo utitur.[4]) Deinde minime optimis auctoribus usus est A[1] — sic abhinc scholiastam prioris partis appellabo —: Vergilium bis tribus paginis laudat, cuius unam sententiam eamque notissimam Bobiensis affert. Itaque cum Stanglii argumenta, quae attulit ad probandam suam opinionem, corruerint, denuo quaestio est tractanda de ratione quam A[1] in interpretando Cicerone secutus est.

---

[3]) Talia saepissime apud Donatum leguntur.

[4]) cf. $260,_{16}$. $297,_{10}$. $312,_{15}$. $317,_{3}$. $329,_{23}$. recte suppletum est $235,_{1}$.

Incipit igitur fragmentum a verbis < *Phi* >*lodami hospitis filiam per vim stuprare temptaverit*; supplendum est, ut ex sequentibus elucet *quod.* Enumerat enim scholiasta, quae insint in ipsa oratione singula capita. Talia autem ad multo posteriora tempora quam in quibus Bobiensia scholia conscripta sunt, spectant. Legesis omnium orationum argumenta, quas Bobiensis commentatus est: ne in uno quidem talem enumerationem invenies. At apud Pseudo-Asconium in omnibus praefationibus haec reperiuntur.[5]) Itaque cum, quae Madvigius de forma argumenti in Pseudo-Asconio exponit, ad verbum fere in A^1 cadant, etiam initium nobis amissum tale atque illius fuisse putandum est. Enarrata igitur erant paucis quae facta sunt inter primam et secundam actionem; deinde capitum ordo enumeratus est. Haec usque ad verba *Oppianico reo veneficii* pertinent.[6]) Breviter deinde praefatione finita de comperendinatione dicit, quae multo melius apud Pseudo-Asconium (p. 154) exposita invenimus. Pergit: *Quaerunt multi, quare appellatur praetura*, *cum quaesturae et legationis crimina continentur. Et dicimus ideo*, *quia praeturae crimina graviora sunt.* His verbis manifestum fit nos tenere interpretem recentissimum. ζήτησις enim et λύσις nobis praebetur eius generis, quod Madvigius (l. l. pag. 98) iure suo extremae antiquitati adscribit, quodque deprehendimus cum in Pseudo-Asconio tum in graecis scholiis posterioribus saeculis redactis saepissime. Itaque cum omnia huius partis scholia his congruant — etenim quae affert 400,38. 401,1. 10. 11. 15. 31. 39. 402,1. 2. 5. praesertim autem scholia 400,34. 402,2. 3. 12. 13. 14. 23. extremae aetatis interpretem produnt — A^1 ad tempora Pseudo-Asconii relegandum censeo.[7])

---

[5]) cf. 98,13 sqq. 126,28 sqq. 155,13 sqq. 203,10 sqq.

[6]) Quod vero *multa in his observatione exactissima designata* esse dicit, Stanglius verba (p. 10) de prioribus commentatoribus accipit, equidem ea ad Ciceronem refero. — Neque puto hanc praefationem revera, ut Stanglius (p. 11) contendit, ad omnes Verrinas pertinere; hoc verbis *satis autem constat omnes in Verrem orationes ante aedilitatem editas esse* minime evincitur atque ab *opusculo* alienum videtur (cf. Pseudo-Asconium p. 154 et 155).

[7]) Conferas velim cum 138,33 sqq. quae adnotat ad 401,28—30, deinde scholia 157,2 et 402,20.

Diversa est de auctore scholiorum $402,_{24}$ — $405,_{29}$, quem A^2 nominabimus, quaestio. Hic enim rectum vidisse Stanglium iam Gaumitzius concessit. Atque adiutus verbis Bobiensis p. $260,_{33}$ *id, quod locis pluribus in Verrinis orationibus potuimus adgnoscere,* quibus revera hunc Verrinas interpretatum esse efficitur[8]), etiam rectum invenit: excerpta sunt a librario e Bobiensibus haec scholia ita, ut paene omnia, quae ad historiam spectabant, omitterentur, rhetorica vero et grammatica fere integra describerentur. Hanc excerpendorum scholiorum rationem ad posteriora tempora spectare luculentissime Pseudo-Asconii commentario demonstratur. Nec tamen eadem huius condicio est et A^2. Ille enim ex compluribus antiquis commentariis suum composuit ita, ut verba enuntiataque fere ubique propria compilatoris essent; A^2 pauca de suo adiecit: immutato verborum ordine ea, quae in uno commentario scripta erant, in suum transtulit.

His constitutis iam quaerendum est, an alia vestigia deprehendi possint Bobiensis scholiastae. Atque quod Gaumitzius (pag. 13 et 14) putavit fortasse in Pseudo-Asconio reliquias eiusdem latitare, id ex eis quos attulit duobus locis[9]) evinci posse nemo sibi persuadebit. Rectius A^2 cum Pseudo-Asconio comparasset. Ibi enim quamquam plurima plane aliter atque in hoc enarrata sunt, tamen nonnullis locis eadem interpretandi ratio invenitur. At intra hanc etiam differunt, cum $404,_{9}$ sqq. et $172,_{15}$ sqq. omnino aliis verbis, Pseudo-Asconius etiam pluribus Ciceroniana interpretentur, $173,_{25}$, si conferimus $404,_{30}$, Pseudo-Asconius melius tractaverit. Sed quae Pseudo-Asconius $175,_{1}$ scribit, mire consentiunt cum eis, quae $405,_{15}$ dicta invenimus, ut intellegamus cum A^2 quodammodo hic cohaerere illum interpretem. Sed cum certissimum sit multo plures commentarios orationum Tullianarum inter se simillimos extitisse quam nobis servati

---

[8]) Quod Schillingius *probabile* tantum id *fieri* dicit p. 28 adn. 2 equidem non intellego.

[9]) $124,_{4}$ et $120,_{16}$: de columna Maenia adnotatio e ioco Lucilii nata est. cf. Porphyr. ad. Hor. sat. I, $3,_{21}$. Rem ipsam explicant Plinius 34,5 et Livius 39,44.

sunt, ne id quidem scholion Pseudo-Asconium Bobiensi debere dici potest, sed verisimilius videtur utrumque ex eodem commentario desumpsisse. Itaque quamquam in perlegendis scholiis hic illic vestigia etiam generis dicendi Bobiensis deprehendere mihi videor[10]), tamen ne de illis quidem certi quicquam affirmare ausim.

Demonstrasse igitur me existimo non quattuor, quos Stanglius distinxit, sed quinque scholiastas in Gronovianis scholiis coniunctos esse. Is enim, quem A nominat, e duabus partibus constat, quarum altera scholia Bobiensia excerpta continet, altera adnotationes interpretis recentioris aetatis complectitur. Aliae vero Bobiensis reliquiae nobis servatae esse non videntur.

---

[10]). Duos locos afferre liceat: 179,9 ad Act. II lib. I § 70, quo in scholio Pseudo-Asconii verbis certissimum fit eum compluribus commentariis usum esse. Etenim cum antea de Adriani nece dixisset, addit: *Sed opportune Tullius causam tacet illatae necis in Adriano et inultam mortem eius ostendit: quem dicit oratorie non in hospitio, sed domi suae vivum crematum et „ille" sic dixit, ut de notissimo videretur loqui.* Haec exceptis ultimis verbis inde ab *et* genus dicendi verbaque ipsa Bobiensis sapiunt, *opportune, oratorie,* totius enuntiati structurae rationisque interpretandi rhetorice innumerabilia exempla inveniuntur apud Bobiensem. Praeterea evidentissime hic demonstrari potest hoc enuntiatum ex alio, atque e quo cetera hausit, commentario desumptum esse. Neque enim in eisdem verbis idem homo ‚in praetorio' et ‚in hospitio' ustum esse Adrianum dixisse potest. *Oratorie* autem tantummodo Ciceronem dixisse pro in hospitio: domi suae scholiasta adnotat. extrema verba vero ab alio addita esse quis non videt? —

Alter locus extat in scholiis Ambrosianis ad. or. pro Marcello habitae cap. VI pag. 371,16 *Et vide qua moderatione temperaverit culpam, ut siquid etiam delicti habuit, non malitiae fuerit, sed erroris.* Simillima haec sunt Bobiensis verbis 267,30: *Animadverte, quo modestiae temperamento haec exequatur, ut nihil impudentiae, multum religionis habeat oratio.* Neque tales formulae apud ceteros Ciceronis scholiastas inveniuntur. —

II.

Quoniam constitutum est nos integra scholia e Bobiensibus non tenere nisi corpus a Maio editum, iam quaerendum est, cuius generis illud sit. Atque primum quidem videamus, quae orationes in commentario explicatae quoque ordine dispositae sint. Haec quaestio, ut ex adnotatione Mai in praefatione Milonianae (p. 274) elucet, ex ipso codice solvi non potest. Ibi enim et in Miloniana et in Planciana eosdem numeros quaternionum a librario exhiberi narrat. Neque puto assentiri quemquam coniecturae viri docti, qui de duobus scholiastae exemplaribus ab eodem amanuensi scriptis et inter se confusis cogitat: verum libenter omnes concessuros errasse librarium. Nos igitur in corpore, quod servatum est, ordinem orationum earum tantum constituere possumus, quae in eadem pagina sese excipiunt. Itaque, si, quae Maius adnotavit, recte se habent, duas series constituere debemus:

I. pro Flacco, post reditum in senatu, post reditum apud populum, pro Plancio, de aere alieno Milonis, pro Archia.

II. pro Milone, pro Sestio, pro Vatinio.

Sullanam excipi ab ea, quam in Clodium et Curionem dixit Cicero necessario nexu membranarum adnotat Maius (p. 283 adn. 3), de rege Alexandrino nihil adicit.

Accedunt autem his orationes quaedam nunc amissae, quas olim in commentario extitisse viri docti coniecerunt: Maius enim primus locum $283,_2$: *Hic P. Scipio Aemilianus, ut in proxumae orationis commentario iam locutus sum, ... repentina morte domi suae interceptus est, non sine infamia C. Gracchi et uxoris suae Semproniae* adnotavit ad caput XXXVI Murenianae respicere videri. Itaque etiam illam celeberrimam orationem, quam penitus se nosse scholiasta adnotationibus

233,27. 242,6. 264,3. 269,17. 324,4. — 262,28. 316,23. ipse prodit in scholiis narratam et ante Milonianam positam fuisse putavit. Deinde Gaumitzius suo iure Verrinas (vide supra pag. 7.) adiecit incerto tamen, quo positae fuerint, loco. Eodem modo Schillingius demonstravit tribus locis: 299,16. 301,5. 302,5. scholiastam ad orationem de domo respicere aeque a se explicatam. Adstipulandum igitur est sententiae viri docti in palimpsesto illas orationes omissas esse a librario.

Neque vero quicquam his orationibus insertis proficimus ad ordinem aliquem in commentariis constituendum. Sed cum videamus quinque primas orationes ratione temporis habita dispositas esse, necessario suspicio oritur etiam ceterarum hunc ordinem olim fuisse. Cum hoc congruit, quod initio argumenti ad Plancianam scripti dicit scholiasta hanc *etiam*[1]) orationem habitam esse L. Domitio. App. Claudio coss. Atque extat locus in praefatione commentarii ad orationem post reditum in senatu compositi, quo extra omnem dubitationis aleam ponitur initio quidem revera secundum illum ordinem commentarios dispositos esse. Ibi enim haec invenimus:

Oration[um ordo] Tulli[anarum a nobis profecto pos]tulabat,[2]) *ut praecedentis commentario eam subiceremus, quae inscribitur: „Si eum P. Clodius legibus interrogasset"; quae oratio videtur post mortem eius inventa* e. q. s.

Quibus verbis manifestum fit non solum rationem temporis a commentatore habitam esse, sed etiam eum omnes Ciceronis orationes commentario instruxisse: nam neque inter Flaccianam et suppositiciam illam declamationem neque inter hanc et orationes post reditum ulla nota erat a Cicerone habita. Itaque cum et quaerendum sit an tale corpus omnino extiterit et quo tempore pervulgatum sit, omnia, quae de Tullianarum editionibus comperta habemus inde a Ciceronis ipsius aetate repetam.

Atque quamquam saepius M. Tullius orationes a se habitas commemorat, tamen rarissime de editis vel edendis verba

[1]) evincitur igitur ante hanc aliam huius anni orationem explicatam esse.

[2]) Maius uncis inclusa supplevit.

facit. Nonnulla tantum ex eius epistulis promi possunt, quibus demonstratur hunc morem eum secutum esse, ut orationes, postquam dixit, retractaret atque singulas ederet.

Anno 693|61 Attico postquam de aliis orationibus verba fecit, haec scribit (ad. Att. I, 13,5): *In illam orationem Metellinam addidi quaedam: liber tibi mittetur.* Inde igitur cognoscimus cum inter habitam et editam orationem annum fere interfuisse, tum librum illum solam Metellinam continuisse.

Ter deinde de oratione in Clodium et Curionem ex epistulis ad Atticum missis aliquid comperimus. Paulo post (ad. Att. I, 16,8-10) altercationem in senatu cum P. Clodio habitam de hac ipsa exponit disertissimis verbis. Atque, cum nihil de edenda invectiva addat, bis postea verba de eadem facit (ad Att. III, 12,2): *Percussisti me etiam de oratione prolata: cui ‚vulneri', ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equidem olim ei iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem. Quomodo exciderit, nescio.* Deinde eodem anno 696|58 (ad Att. III, 15,3): *Sed quid Curio? an illam orationem non legit — quae unde sit prolata, nescio?* — Apparet, quamvis non aperte editam esse audiamus a Cicerone invectivam, tamen eam in vulgus emanasse.

Ex orationibus post reditum habitis discimus (ad Att. IV, 2,2) eam, quam de domo sua habuit Cicero, editam ab ipso separatim esse.

Neque omnino consuetudo ei erat, ut plures orationes in unum corpus redigeret; ne id quidem, quod postea docebo nobis servatum esse annorum 697.8|57.56 ab ipso compositum esse manifestum fit verbis ad Lentulum scriptis (ad div. I,9,23): *Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim, sunt orationes quaedam, quas Menocrito dabo neque ita multae, ne pertimescas.* Illas igitur etiam separatim editas esse elucet.

Deinde invectivam in Pisonem editam esse ante mensem Septembrem anni 700|54 testantur haec verba Ciceronis (ad Quint fr. III, 1,11): *De Calventii Marii oratione quod scribis: miror tibi placere me ad eam rescribere, praesertim*

cum illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes tamquam dictata perdiscant.

Eodem tempore etiam se Scaurianam et Plancianam absolvisse scribit.

Etiam eas causas, quas coram Caesare egit, ut par est, separatim edidit. De his paulo accuratius edocti sumus In epistula enim ad Atticum scripta (XIII, 12,2) anno 709|45 haec scribit: *Ligarianam praeclare vendidisti: posthac, quidquid scripsero, tibi praeconium deferam.* Itaque oratio iam tum evulgata erat. Non ita multo post (XIII, 30) eam a Balbo et Oppio laudatam atque etiam Caesari missam esse scribit. Alia epistula (XIII, 20,2) *Ad Ligarianam,* inquit, *de uxore Tuberonis et privigna neque possum iam addere — est enim pervulgata — neque Tuberonem volo offendere mirifice est enim* φιλαίτιος; *theatrum quidem sane bellum habuisti.* Alia (XIII, 44.) Atticum rogat, ut L. Corfidii nomen tollatur ex omnibus libris. Quod tamen aut factum omnino non est, aut in quibusdam tantum libris: quos nos tenemus codices, omnes illud nomen exhibent. Deiotarianam Dolabellae petenti misit (ad div. IX, 12,2). Etiam hanc igitur separatim edidit.

Quare morem fuisse M. Tullii constat orationes exaratas correctas retractatas singulas edere. Atque idem etiam fecisse eum Philippicis habitis testes sunt epistulae Bruti et ipsius M. Tullii, quae extant in libro II, tertia et quarta: Scribit Brutus (III, 4): *Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Ian. usus es, altera de litteris meis, quae habita est abs te contra Calenum .... iam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistula iocans scripsisti.* Haec verba ad V et X orationem spectant. Deinde ipse Cicero (IV, 2) *Mihi etiam,* inquit, (sc. gratulor) *qui repugnante et irascente Pansa sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur* e. q. s. deinde: *haec ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris.* His ad XI orationem respicit.

Semel autem de consuetudine singulas orationes edendi decessit: in eis, quas anno 691|63 habuit. Ipse enim Attico

anno 694. haec scribit (II, 1,3.): *Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant; fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat ut* σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος *videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur: quarum una est in senatu Kal. Ianuariis, altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta, cum provinciam in contione deposui, septima, cum Catilinam emisi, octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit, nona in contione, quo die Allobroges ....* (videtur esse lacuna) *invocarunt, decima in senatu Nonis Decembribus; sunt praeterea duae breves, quasi* ἀποσπασμάτια *legis agrariae. Hoc totum* σῶμα *curabo ut habeas,* e. q. s. Inde apparet Ciceronem non prius omnes has orationes publici iuris fecisse quam anno 694/60. Desunt autem ex earum numero, quas consul habuit, et oratio pro Pisone quam habuisse se testatur ipse (pro Flacco § 98) quamque ideo editam esse non verisimile est, quia nulla eius fragmenta extant, et Mureniana. Hanc separatim editam esse consentaneum est; voluisse enim Ciceronem complecti illo corpore orationes tantum ad rempublicam pertinentes ipsis illius verbis elucet. Omnino autem σῶμα illud, ut par est, secundum temporis rationem dispositum esse videmus.

Atque — ut hoc iam nunc dicam — ipsum corpus diu notum fuisse possumus ostendere. Illo enim tempore, quo contra Senecae imitatores libros suos Quintilianus composuit, Plinius in naturali historia (VII, 116) haec scribit: *Sed quo te, M. Tulli, piaculo taceam, quove maxume excellentem insigni praedicem? Quo potius, quam universi populi, illius gentis, amplissimo testimonio, e tota vita tua consulatus tantum operibus electis? Te dicente legem agrariam* (II), *hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus, te suadente Roscio* (III) *theatralis auctori legis ignoverunt notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt, te orante proscriptorum liberos* (V) *ho-*

nores petere puduit, tuum Catilina (VII sqq.) *fugit ingenium, tu M. Antonium proscripsisti.* In his suo iure quis mirari possit orationes pro Roscio et de proscriptorum liberis commemoratas esse, Verrinas, Milonianam, Caesarianas, quas prae ceteris excellere posteriores auctores saepe praedicant, ne uno quidem verbo tactas. Praeterea ordinem temporis in enumerandis orationibus tenuit Plinius. His manifestum fit illud σῶμα orationum in consulatu habitarum ob oculos eum habuisse; nam, quod Philippicas adiecit, id fecit, ut sententia orationem clauderet. Extabat igitur Plinii temporibus praeter alia corpora, de quibus postea dicemus, etiam sylloge ab ipso M. Tullio composita.

Quoniam de Cicerone, quantum quidem de editis ab ipso orationibus accuratius comperimus, dictum est, ad Tironem venimus, quem orationes patroni sui edidisse constat duobus locis Gellianis (I, 7,1 et XIII, 21,16) ac praeterea e subscriptione, quae adhuc in nonnullis codicibus extat initio II in Rullum orationis: *Emendavi ad Tironem et Laecanianum* (de his vide pag. 15 cum adn. 4). Sed ab hoc iam ad Asconium transeundum est, cum illius demum aetate de editione Tullianarum orationum certiores fiamus. Hunc enim optimum diligentissimumque Ciceronis interpretem, sive XVI a Kiesslingio Schoellioque (praef. p. XV. sqq.) enumeratas orationes, sive omnes commentatus est, usum esse exemplari, in quo orationes Tullianae ratione temporis habita dispositae erant, ex argumentis facile evincitur. Necesse est igitur tale corpus confectum et in vulgus editum esse inter Asconii aetatem aevumque Tullianum. Atque verisimillimum videtur a Tirone ipso, quamquam de ordine, quo composuit orationes nihil traditum est, illud σῶμα originem ducere, quippe a quo omnia fere Tullii opera edita esse constet. Neque aliam atque temporis rationem eum secutum esse consentaneum est et re ipsa et ordine syllogae illius ab ipso Cicerone evulgatae. Infirmari autem hanc coniecturam verbis Asconii video, si recte locum argumenti Pisonianae (p. 1,7.) sanarunt Kiesslingius Schoelliusque. Ibi de homine quodam Asconius loquitur, qui perverse illam invectivam inter eas orationes, quas habuit

Cicero L. Domitio Appio Claudio coss. (700/54) ultimam posuit. Illius autem nomen intercidit in lacuna quattuor fere litterarum. Coniecerunt igitur viri docti de Tirone dictum esse. Nec tamen id probabile puto. Ex eis enim causis, quas enumerat Asconius, ut Pisonianam anno praecedente habitam esse doceat, manifestum fit eum, quem appellaverat, vel immani quadam neglegentia orationem tractasse vel omnino tempora Ciceronis ignorasse. Huc alia accedit causa, cur Tironis nomen in lacuna demersum negem: In Milonianae enim enarratione (p. 43,10.) Asconius, cum eius verba commemoret, quasi adhuc omnino eius mentionem non fecerit *libertum Ciceronis* addit accurateque librum, e quo adnotationem desumpsit, significat. Itaque in Pisonianae argumento, si non similia vel eadem verba ad nomen addita, at certe titulum libri desideramus[3]). Suspicari vero fortasse licet, qua via ad coniecturam illam de Pisoniana movendam quis pervenerit: In epistula enim ad Quintum missa (III, 1,11) invectiva una cum Scauriana et Planciana commemoratur. Verbis igitur Ciceronis in illa scriptis sive Nepos, sive alius is fuit, qui in hunc erorrem incidit, deceptus est. Quare cum minime de Tirone illo loco dici videatur, equidem ab hoc ordinem corporis Ciceroniani secundum temporis rationem constitutum esse haud improbabile duco.

Atque, ut nunc omittamus ordinem orationum Tullianarum scholiastae Bobiensis, etiam secundo post Christum saeculo eodem modo dispositas esse orationes Ciceronis Kiesslingius (ind. schol. Gryphiswald. 1883 p. 6) demonstrare conatus est. Extat enim in aliquot codicibus subscriptio (cf. Iahnium in comment. acad. Sax. 1851 p. 331), de cuius parte (cf. p. 14.) iam dixi: *In exemplari vetustissimo hoc erat in margine: „Emendavi ad Tyronem et Laecanianum.*[4]) *acta ipso Cicerone*

[3]) His constitutis iam manifestum puto Nepotis nomen, de quo etiam Kiesslingius Schoelliusque cogitarunt, hic supplendum esse. Illum enim etiam annum natalem Ciceronis ignorasse vel se nescire simulasse e Gellio (XV, 28,1—3) comperimus.

[4]) Sic nomen scribendum est, non *Laetanianus* vel *Lactanianus*. cf. CIL suppl. vol. II, 5792, ubi commemoratur *C. Laecanius Bassus*, consul

et Antonio conss. oratio XXIV." *In exemplari sic fuit:* „*Statilius Maximus rursum emendavi ad Tyronem et Laecanianum et dom.* (sic!) *et alios veteres III oratio eximia.*" Ex orationibus secundum temporis rationem dispositis in locum XXIV succedit prima de lege agraria. Itaque has subscriptiones, cum initio secundae positae essent, ad finem praecedentis relegandas esse censuit vir doctus. Neque de hac re dubitari potest. Etenim quod numerus alterius *(III)* ita positus est, ut eum ad vocabulum orationis spectare aliquis conicere eiectoque verbo, quod est *eximia* subscriptionem ad tertiam de lege agraria orationem referre possit, haec sententia improbanda est eo magis, quod minime verisimile est numeris iam tum ut apud nos illas orationes contra Rullum distinctas esse (cf. pag. 17. adn. 8). Sed quod deinde putat Kiesslingius numerum XXIV ad Statilium Maximum ob eamque rem ad alterum p. Chr. saeculum spectare, ea videri possit audacior coniectura. Etenim in altera subscriptione numerus, in altera nomen est. Quare eo tantum procedam, ut dicam aut ab eodem Statilio utramque subscriptionem additam esse, id, quod verisimile fit verbo: *rursum*[5]) aut posteriorem tantum ab hoc scriptam esse, priorem ab alio.[6]) Neque vero, utrum haec an illa sententia recta sit, multum interest: concedamus oportet opinionem corpus orationum ab Asconio Bobiensique narratarum ex temporum ordine dispositum fuisse.[7])

---

post Christ. 40; vol. X. 1881 *curante L. Laecanio Primitivo* (p. Chr. 165); passim hoc nomen occurrit in Gallia Cisalpina (cf. CIL vol. V).

[5]) cf. subscriptionem Apuleii apud Iahnium: *Ego Crispus Sallustius legi et emendavi Romae ... Rursus Constantinopoli recognovi.*

[6]) talia enim usu venisse spondent subscriptiones X primorum Livii librorum. Hae cum III sint, quarum I: *Nicomachus Flavianus v. cl. III praefect. urbis emendavi apud Hennam*, II: *Nicomachus Dexter v. cl. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani*, III: *Victorianus v. c. emendabam domnis Symmachis*, haec in fine omnium librorum extat, cum prima coniungitur in fine sexti, septimi, octavi, cum altera in fine tertii, quarti, quinti.

[7]) Atque hic adnotandum breviter est nuper Manitium in commentatione, quam scripsit de Aldhelmo (comment. Acad. Vindob. ord. phil.-hist. tom. CXII p. 601), duos locos attulisse, quibus demonstrare sibi visus est etiam alius ordinis syllogas extitisse. Hi sunt: *Cicero in libro XV*: „*omnes imploro et obtestor*". (Aldhelm ed. Mai = auct. class. V p. 590; ed. Giles. Oxon. 1844.

Extitisse igitur immensum quoddam syntagma demonstratum est, quo omnes orationes Ciceronis continebantur. Quaerendum nunc est, cum iam supra (p. 13.) intellexerimus Plinium partem illam separatim editam habuisse, an praeterea aliae quoque minores syllogae inveniantur. De hac re, cum duo genera testium intellegam esse, ita disputabo, ut primum exponam, quae ex auctoribus, deinde, quae ex codicibus elici possint. In priore autem parte agendum est de Verrinis, Catilinariis, Caesarianis, Philippicis, deinde de alio corpore, cuius mentio servata est a Diomede.[8])

E quibus Verrinas uno corpore collectas esse iam Ciceronis temporibus verisimile fit ipsius septem accusationis librorum (cf. orator § 103) commemoratione. Atque quamquam postea (§ 210) de II et IV accusationis libro ita disputat, ut II in

p. $321_{,11}$.) *Cicero libro XIII: „nullo modo possum aut memoria consequi aut oratione complecti“* (ed. Mai p. 591 = Giles p. $322_{,5}$). Petita verba sunt e Verrinarum libro quinto § 188 et quarto § 57 actionis secundae, qui in corpore Asconiano undecimum duodecimumque locum obtinent. At unum ex his numeris mutandum esse iam Manitius censuit, quia libri IV et V Verrinarum ita sese excipiant, ut ne posteris quidem temporibus inter eos aliam Ciceronis orationem intercessisse putandum sit neque IV vel V in duas partes divisos esse verisimile videatur. Hoc eo rectius est, quod etiam ipse Cicero in oratore (§ 103) de accusationis septem libris loquitur. Itaque aut scribendum esset XIV et XV aut XIII et XIV. Minime autem dubium est, quin hic non Aldhelmi causa agatur sed grammatici veteris, e quo exempla desumpsit: hoc iam Traube vidit (in comment. Acad. Monac. 1891 p. 369). Accedit, quod fides numerorum infirmatur sequentibus verbis Manitii. Etenim in Aldhelmo postea etiam Plinianorum librorum numeros alios esse atque nostros demonstrat. Atque eos perversos esse inde facile elucet. Quare fortasse etiam de utroque Ciceronianorum numero dubitet quispiam. Sed si alteruter rectus est, confitendum videtur corpus revera non secundum rationem temporis sed alio consilio institutum esse; quonam, nescimus.

[8]) Ne quis forte credat incuria hic omissas esse de lege agraria orationes III, breviter adnotandum duxi nusquam eis numerum adici. Laudantur a Quintiliano et Gellio ita, ut ille orationes *in Rullum* appellet, hic ut Charisius (gr. lat. I, $93_{,20}$ et I, $146_{,32}$), quam nos *primam* vocamus, *Kal. Ian. de lege agraria*, quam nos *secundam: dissuasionem legis agrariae*, vel *de lege agraria*. Itaque verisimile est non in uno corpore has orationes esse coniunctas. — Quod vero amissum est alterum ἀποσπασμάτιον, de quo Cicero dixerat, aut illud non edidit aut eo ipso, quod non una sylloga coniunctae sunt legis agrariae orationes, nobis non traditum est.

Verrem actionem respici dubium nemini esse possit et Quintilianus (XI, 2,25) aliique auctores de *secunda accusatione* verba faciunt, editionem tamen Verrinarum separatim factam extitisse, in qua divinatio *liber I* appellata sit et quae sequuntur orationes numeris II—VII signatae sint, dilucide demonstratur verbis exemplisque grammaticorum.[9])

Catilinarias deinde uno corpore coniunctas esse praesertim eo elucet, quod saepissime ab auctoribus titulo communi *invectivarum* appellantur, cuius aliae ut Pisoniana spuriave Sallustiana participes non sunt. Diomedes (gramm. latt. I, 330,1), Pseudo-Sergius in explanatione in Donatum (gr. latt. IV, 558,22), Audax (ibid. VII, 354,27), Augustinus (de civ. dei III, 15 ed. Migne), auctor, qui schemata dianoeas scripsit (rhett. latt. ed. Halm p. 75,13), nec non Priscianus ubique (gramm. latt. II, 3, passim et rhett. latt. 558,2) hac significatione utuntur.

Tertium est corpus orationum pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro habitarum. Has una sylloge coniunctas esse quattuor locis demonstratur, quibus ad verba M. Tullii *in Caesarianis* revocamur: horum duo sunt apud Servium (ad Aen. V, 187 et XI, 438):

„*Illo aemulo atque imitatore studiorum meorum*“ *Cicero in Caesarianis* (= pro Marcello I, 2). *Cicero in Caesarianis:* „*Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti.*“ (= pro Deiot. IV, 12).

Singuli apud Probum (gramm. latt. IV, 27,18) Noniumque (pag. 437,9) extant:

„*Hieras et Blaesamius et Antiochus*“ *Cicero in Caesarianis* (= pro Deiot. XV, 41).

M. Tullius in Caesarianis: „*Quasi quodam aemulo atque imitatore studiorum et laborum meorum et comite abstracto.*“ (= pro Marc. I, 2).

Apertissime autem de Philippicis edocti sumus versu Iuvenalis (sat. X, 124 sqq.):

Ridenda poemata malo

---

[9]) Itaque apud Nonium pag. 34,10 pro V. est scribendum VI. p. 141,15 pro III: VII — Quae Muellerus de aliis editionibus dicit plane perversa sunt.

Quam te conspicuae, divina Philippica, famae!
Volveris a prima quae proxima.

Nomen ipsum non videtur ab omnibus receptum esse: Gellius ubique de *Antonianis* loquitur.

Iam ad Diomedem veniamus. In illius enim libro primo (gramm. latt. I, 368,28.) haec inveniuntur: *Cicero causarum decimo tertio: „re vendita iterum empta.“* Quae verba cum *libro* supplendum esse nemo non videat, falso ab editoribus inter fragmenta ex commentariis causarum posita sunt[10].

Itaque indagandus nobis est ordo quo *causarum* Ciceronis corpus dispositum sit. Quem chronologicum fuisse spondet haec series:

I pro Quinctio.	IV pro Roscio comoedo.
II pro Sex. Roscio.	V pro Tullio.
III pro Vareno.	VI—XII in Verrem.

XIII pro Fonteio.

Iam in ultima, quae nobis lacunosa servata est, haec verba apud Diomedem inventa ponenda esse elucet: sic et novum Fonteianae fragmentum lucramur et reliquis orationum syllogis novum *corpus* anteaque ignotum *causarum* ex temporum serie dispositarum adiungimus.

Compositis, quae ex auctoribus elicere potuimus, ad codices transeamus. In quibus, ut par est, primum locum palimpsesti tenent. Sed perincommode accidit, quod post Peyronium nemo fragmentis Taurinensibus ita operam dedit, ut intellegere possimus, quo ordine in antiquo codice orationes sese exceperint. Adhuc id tantum perspectum habemus virum doctum X orationum fragmenta indagasse; quo ordine dispositae fuerint, nescimus. Ne R 57 Ambrosiano quidem, qui continet partes Scaurianae, Tullianae, Flaccianae adiuvamur in quaestione solvenda. De Vaticano Palatino 24 vero Niebuhrius[11]) rettulit. Insunt in illo partes Fonteianae, Rabirianae, Roscianae. Et cum de prima nihil, quod ad ordinem attinet, sciamus — nam mutilata est et initio et in

[10]) Decepti sunt, ni fallor, verbis Quintiliani X, 7,30.

[11]) M. Tullii Ciceronis . . . fragmenta etc. Romae. 1820.

fine — extrema Rabirianae verba excipiuntur primis orationis pro Sex. Roscio habitae. Haec sunt, quae de palimpsestis comperta habemus. Atque cum his Niebuhrius suo iure comparavit (l. l. p. 66 sqq.), quae de codice a Poggio invento scimus. Etenim quamquam omnino, quot cuiusque generis manuscriptos libros invenerit, ignoramus, tamen hoc certum est Rabirianam in eo, quo legebatur, codice exceptam esse oratione pro Q. Roscio habita. Iam hoc fretus Niebuhrius coniecit partem orationum ex serie litterarum dispositam esse. Atque ita hoc factum esse sibi persuasit, ut et orationes, quae libros integros efficiebant, et, quae in scholis rhetorum tractabantur, et, quae ad historiam Ciceronis spectabant, separatim editae essent, reliquae secundum litteras se exciperent. Quae sententia quam improbabilis esset, ipse demonstravit. Namque, cum summa licentia vel huic vel illi corpori orationes attribuisset, tamen coactus est Murenianam in ultimo ordine ponere, in quo tantum quae litteris CPQR incipiunt esse voluit. Sed, si modo recta sunt, quae antea disputavimus, apparet talia corpora uno eodemque tempore facta esse non posse. Aut omnes orationes ex litterarum aut ex temporum serie dispositae sunt. Atque id ipsa tertia causa, quam Niebuhrius ad probandam suam opinionem attulit, demonstrari videtur. Provocavit enim ad ordinem vel potius confusionem in codice Vaticano Basilicae H. 25. In illo ita res se habet (cf. Traube l. l. p. 367 sqq.): Deest quaternio I, in II pars Pisonianae traditur; sequitur quaternio VII inscriptus: *Pro Fonteio*, qui continet partem Flaccianae; in VIII Fonteianae pars nullo titulo addito annectitur, deinde sequuntur Philippicae orationes. Unde cum intellegi facile posset coaluisse Fonteianam cum Flacciana, maxime hoc ad suam coniecturam pertinere intellexit Niebuhrius. Longius autem procedendum esse credo. Nam cum rectum sit secundum temporis rationem orationes illius codicis dispositas non esse et genere specieque plane inter se differe, aut omnino huius dispositionis originem investigare non possumus aut e litterarum serie eas dispositas esse dicemus. Quod si ita est, scripsit

librarius *Filippicae.* At obicitur Pisonianam in eodem codice extare neque negari potest magnam hac difficultatem oriri. Etenim certum est non solum in H 25, sed etiam in eo libro, ex quo descriptus est, Pisonianam cum ceteris coniunctam fuisse. Fateor mihi hic aquam haerere nec tamen a coniectura optime a Niebuhrio firmata recedere possum. Statuendum igitur est quondam editionem Tullianarum orationum extitisse e serie litterarum dispositam. Atque quamquam certis argumentis probari nequit, quando illa evulgata sit, tamen recentiore tempore institutam eam esse pro certo affirmandum est. Elucet enim, cum antea in disponendis orationibus temporis ratio habita esset, hunc ordinem vel confusum esse vel non iam intellectum, cum aliter orationes disponerentur. Neque existimabit aliquis post egregiam Mommseni disputationem (Hermae vol. XIV, p. 65 sqq.) prioribus temporibus scriptura *Filippicae* usum esse quemquam. Immo, si homo eruditus fuit librarius, ante medium quartum saeculum *F* pro *Ph* scripsisse non putandus est.

His absolutis ad ea corpora orationum venimus, quae vel separata vel cum aliis Tullianis operibus coniuncta in nostris codicibus servata sunt.

Verrinas in palimpsesto Vaticano universas fuisse manifestum est; item extitisse eas, quamquam coniunctas cum aliis scriptis, quae tamen nihil ad orationes pertinent, in codice Parisino 7774 A nuper E. Thomas (revue de philologie 9,167 sqq.) demonstravit. Atque, ut etiam hoc commemorem, in Riccardiano 499, qui Poggii fuit, appellantur *libri accusationis VII* continuisque numeris signantur.

Catilinarias Philippicasque in omnibus codicibus ordine temporis extare notum est.

Caesarianae in vetustioribus libris ubique universae extant eodem ordine: pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro. In his ita disponendis temporis rationem habitam esse elucet.

Itaque omnia haec corpora inde ab Asconii temporibus ordine non mutato[12]) nobis servata esse censeo.

[12]) incredibile fere est e corpore Philippicarum quasdam omissas esse. Neque vero dubitari potest, quin id factum sit. Etenim et scholia Bobiensia

Absolutis igitur, quae de his partibus dici possunt, ad aliud corpus venimus, de quo apud auctores nihil omnino comperimus: quod tamen pervetus esse demonstrabimus. Agitur enim de orationibus annorum 697.8./57.56, de quibus primus Iordanus (ind. lect. Regiomont. 1886 p. 1.) pauca disputavit. Nam has orationes et in Parisino 7794 et in Bruxellensi 5345 ratione temporis habita dispositas esse ait. Addit autem duas ex eis, quae illis annis habitae sint, nobis ereptas esse: alteram, quam in epistula ad Quintum fratrem missa (II, 3,6.) Cicero commemmorat, qua Bestiam defendit, alteram, qua de rege Alexandrino exposuit, cuius fragmenta in scholiis Bobiensibus nobis servata sunt. Atque de Bestiae defensione probabilis opinio est, quam Iordanus protulit: orationem a Tullio non evulgatam esse. Neque enim ullum fragmentum ab aliis auctoribus servatum est, neque in scriptis Ciceronis ipsis excepta illa epistula verba de oratione fiunt. Et cum causae plures esse potuerint, quare illam non ediderit, verisimillimam puto, quod iudicibus innocentiam Bestiae persuadere non potuit Cicero. Neque enim dubitandum est, quin ad eandem causam alludat in Philippica XI (5,11), ubi damnatum esse Bestiam in petitione praeturae aperte narrat. Aliter res se habet in altera oratione amissa. Huius enim fragmenta servata nobis sunt non solum in scholiis, sed etiam in libris Aquilae Romani et Fortunatiani; etiam Strabo (XVII, p. 798 C.) commemorat verba Ciceronis ἔν τινι λόγῳ de tributis Aegypti facta, quae dubitare non possumus, quin in hac oratione extiterint. Pluries autem de eadem re in senatu verba fecisse Tullium ex epistulis ad Lentulum missis scimus. Statuendum igitur videtur Ciceronem, ut mos ei erat, postea unam ex his orationibus edidisse, eam aequalibus notam fuisse atque etiam eo tempore, quo commentarius Bobiensis conscrip-

---

et Plinius ad eundem locum Ciceronis *in Philippicis* respiciunt, qui non extat. Etiam Arusianus Messius, Nonius, scholia ad Iuvenalem locos ignotos commemorant, neque obliviscenda sunt verba Pompei, quae certe non ad XIII, 43 pertinent, sed ad aliam orationem amissam. Apud Nonium numerus IV non rectus est. — Hoc igitur singulari certe casu factum est ut de corpore XIV orationes serventur, reliquae amittantur.

tus est, extitisse. Quando vero amissa sit, tempus certis terminis circumscribere non audeo, cum demonstrari posse minime putem Aquilam vel Fortunatianum ex libris ipsis Ciceronianis exempla sua descripsisse, immo verisimillimum sit illa inter rhetores per manus data esse. Certum est amissam iam fuisse orationem, cum corpus illarum orationum, quod tenemus, confectum est.[13])

Iam igitur ordinem, qui est in antiquissimo codice Parisino 7794 (saec. IX) percenseamus. Exhibet ille:

I. Pridie quam in exilium iret.
II. Cum senatui gratias egit.
III. Cum populo gratias egit.
IV. De domo sua.
V. Pro P. Sestio.
VI. In P. Vatinium testem.
VII. In senatu de provinciis consularibus.
VIII. De haruspicum responsis.
IX. Pro Cornelio Balbo.
X. Pro Caelio.

Iam cum titulo ipso demonstretur declamationem illam subditivam, quam primo loco positam videmus, habitam fingi pridie quam in exilium iret, alteram orationem reducem Ciceronem habuisse, temporis rationem in disponendis his orationibus servatam esse necessario evincitur. Deinde, cum omnes Ciceronis contiones testentur prius in senatu, deinde ad populum orationes haberi, putandus est etiam antequam populo gratias egit, in senatu verba fecisse. Eodem modo, quae sequuntur, orationes secundum temporis rationem dispositae sunt. E quibus prima est de domo, quam ex epistula ad Atticum missa (VI, 2,2) scimus dictam prid. Kal. Oct. apud pontifices. Sequuntur Sestiana et Vatiniana, de quibus ad Quintum fratrem haec scribit (II, 4,1): *Sestius noster absolutus est a. d. V Id. Mart. . . . scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur: nam defen-*

[13]) Quam pro Asicio dixit se habuisse, pro certo affirmari potest editam non esse. (cf. pro Caelio § 23.)

dendo moroso homini cumulatissime satisfecimus et . . . Vatinium . . . concidimus dis hominibusque plaudentibus. Quae septimo loco posita est, oratio de provinciis consularibus dubitari nequit, quin post Id. Mart. a Cicerone habita sit. Tamen de tota huius temporis condicione paulo accuratius disserendum videtur.

Cicero, quamquam frater ipse Caesari pollicitus erat nihil Marcum reducem contra III viros acturum, tamen, simulatque in patriam rediit, ad optimatium societatem applicavit sese. Atque, cum iam antea dissensiones ortae essent inter Pompeium illosque, mense Ianuario in senatu dum agitur de rege Ptolemaeo reducendo, Pompeius gravissimam cladem accepit. Deinde cum etiam a Clodio aperte oppugnaretur, in causa Sestiana vehementissime a Cicerone laesus est. Vatinius enim ille, de cuius interrogatione verba Tullii modo audivimus, tribunus plebis optime de legibus Iuliis, in quibus etiam illa de actis Pompei erat, perferendis meritus erat. Quin etiam Cicero Nonis Aprilibus senatu plaudente de agro Campano Idibus Martiis referendum esse censuit. Ab hoc die autem adiuti egregia Mommseni disputatione (in ephem. scient. antiq. 1844 p. 593 sqq.) accuratissime edocti sumus, quae egerit Cicero usque ad a. d. VI Id. April., quo die in villas suas Roma profectus est. Omnia scripta sunt in epistula ad Quintum fratrem missa, (II, 5,2.) neque de oratione habita quadam quicquam ibi invenimus. Iam ea, quae hanc sequitur, epistula nuntiat fratri nunc demum se ab illo litteras accepisse. Hae quales fuerint iam suspicari licet ex eis quae ad Lentulum scribit (ad. div. I, 9,9). Pompeius enim, cum Lucae apud Caesarem esset, valde de Cicerone conquestus erat ipsumque Quintum, cum in Sardiniam venisset, ubi ille legatus versabatur in re frumentaria administranda, increpuit de Marci actis. Talia in illa epistula fuisse narrata ex Ciceronis verbis etiam ipsis hoc loco concludere possumus, qui, postquam exposuit in senatu Id. Mai. nihil de agro Campano actum esse sibique in ea causa aquam haerere, *sed plura,* inquit, *quam constitueram.* Antea enim dixerat se de ceteris, quae frater scripserat, coram cum illo loqui velle. De Idibus

igitur Quintus commemoraverat. Atque interim ex aliis de Pompei Caesarisque querimoniis audierat et ipse per Vibullium a Pompeio vetitus erat causam Campanam attingere. Itaque afuisse videtur Idibus Maiis non solum senatu sed omnino Roma (de hac re vid. pag. 28). Reversus deinde exeunte Maio[14]) orationem illam de provinciis consularibus habuit, qua totum se cum Caesare in gratiam redisse significat.

Atque, cum haec fere inter omnes constent, plerique putant orationem, quae in Parisino VIII loco posita est, de haruspicum responsis, ineunte Maio habuisse Ciceronem nescium eorum, quae Lucae inter III viros acta erant. Ad hanc sententiam refutandam cum intersit explicare, quid illo tempore Cicero de republica senserit, tractanda videtur epistula ad Atticum missa IV, 5. Attamen, cum illam minime exeunte Aprili vel ineunte Maio vir, qui litterarum huius anni maximam operam dedit tempori definiendo, Rauschenus (l. l. adn. 54 p. 43.) credat, sed mense demum Iunio scriptam, opinionem quam protulit accuratius explicandam puto. Atque cum epistula IV, 5 artissime cohaereat cum IV, 4b, 6, 8a, paulo minus arta necessitudine coniuncta sit cum 7, ultimam hanc scriptam esse existimat vir doctus ex Arpinati mense Aprili fere medio, 5 paulo post orationem de provinciis consularibus habitam mense Iunio; Antio datam deinde epistulam IV, 6 et 8a eodem mense. Inter causas autem quas profert ad hanc opinionem probandam gravissima est, quod Mommseni interpretationem verborum § 1 epist. V adoptavit. Nam, cum ille παλινῳδίαν quam Cicero ibi commemorat, orationem de provinciis consularibus esse adnotaverit (hist. Rom.[7] III, 323 adn.), Rauschenus eo magis verisimilem viri egregii coniecturam putat, quia παλινῳδίαν scriptam esse censet, postquam Q. Cicero ex Sardinia Romam rediit teste ad fam. I, 9,10: id, quod factum est aliquanto post Idus Maias; atque hoc eodem tempore etiam oratio de provinciis consularibus habita est.

[14]) quod Langius (Röm. Alt. III, 331[2]) Rauschenusque (in dissertatione, quam inscripsit „ephemerides Tullianae" Bonn. 1886 p. 42) mense Iunio eam propter § 21 habitam censent, equidem nihil illa probari video.

Iam quid de hac opinione iudicandum putem, proferam: Ad fam. I, 9,10 cum nihil omnino de παλινῳδίᾳ dicatur, videndum est, quid ex ipsa epistula quinta concludere possimus. Initio excusat se Cicero, quod alii cuidam, quem non nominat, prius exemplar scripti miserit quam Attico. Cuius rei duarum, quas profert, causarum altera est, quod pudore quodam impeditus sit *subturpiculam* παλινῳδίαν amico legendam dare. Iam, quaeso, ponas haec scripta esse Antio Romam paulo post illam orationem habitam. Omnino illo tempore Atticus Romae versabatur; num probabile amicum amico, cum iam antea sententiam mutatam oratione longiore pronuntiasset, talia scripsisse? — Tum demum narrare consilia mutata, cum antea versante amico in eadem urbe in senatu verba illa prolocutus esset? — At pergamus: Exponit Tullius, quanta perfidia in optimatibus sit, cum quibus desertus et relictus tamen in republica consenserat: *iidem erant, qui fuerant: vix aliquando te auctore resipivi.* Atticus igitur ei suaserat iam, ne tam graviter ferret iniuriam ab illis illatam. *Dices ea te monuisse, suasisse, quae facerem, non etiam ut scriberem.* Iam videmus plane se excusare velle Attico Ciceronem de παλινῳδίᾳ illa, qua scripta se obligarat III virorum partibus. Atque si revera haec scripta sunt post orationem de provinciis consularibus, quid tandem voluerat Atticus? — Si iam dixerat Cicero, certe tam grave non erat, ut etiam litteris verba mandaret. Neque quod Rauschenus existimat verba: *sed tamen modici fuimus* ὑποθέσει, *ut scripsi* e. q. s. sententiae adversariorum favere, aptiora illa verba esse ad Mommseni coniecturam defendendam dici potest. Refutari vero illam verbis quae sequuntur: *si et ille libenter accipiet* (sc. Caesar) *et ii subringentur* (sc. optimates) quis non intellegit? — Haec ad scriptum referri debent quo sententiam mutatam, de qua antea nihil dixerat, publicavit. Nam si orationem antea habuisset Cicero, illo tempore iam sciebat optimates sibi succensere nec se *uberiorem* fore scripsisset, *si ii subringentur.*[15])

15) Verba haec E. Muellerus in programmate Kattowitziensi anni 1886 p. 7 adn. 23 ad or. de prov. cons. habendam refert.

His expositis certum mihi quidem videtur παλινῳδίαν orationem non fuisse. Attamen de scripti illius genere et forma nos plane nihil scire confitendum est. Nam, quod Drumannus aliique viri docti de laudatione Caesaris fabulantur, eas nugas esse recte Rauschenus exposuit. At quod idem de scripto, quod aliunde non notum sit agi non posse censet, id nego: immo non mirandum hoc mihi videtur, quoniam talia amicissimo Attico Cicero scribit. Quid, si omnino unum hoc tantum exemplar exiit? Meminerimus initii epistulae: *urgebar ab eo, ad quem misi neque habebam exemplar.* Nihil postea de hoc scripto, nulla promissio se Attico missurum. Atque si revera pudore quodam impeditus est, fortasse etiam illud exemplar reddendum curavit. — Sed haec coniecturae sunt, hoc nobis constat παλινῳδίαν orationem non fuisse.

Cetera Rauscheni argumenta nihil contra hanc sententiam valent; etiam quod putat Tullium, quo tempore maius in villas iter parabat non scribere potuisse: *Crassus viaticum praeripit* merus error est viri docti verba Ciceronis non recte interpretantis: Artissime cum eis, quae praecedunt, cohaerent: Crassipedi nuper (ineunte Aprili) filiam suam cum despondisset Cicero, dos ei collocanda est. Queritur igitur per iocum se eo impediri, quominus iter perbreve Antio Romam faciat viatico praerepto ideoque sibi valde gratum esse, quod amicus domum aedificandam curet.[16])

Itaque, cum denuo quaerendum sit, quo tempore epistulae a IV^b ad VIII^a scriptae sint, eos sequor, qui in itinere, de cuius ratione ad fratrem scripserat, mense Aprili vel Maio eas datas esse censent. Huic opinioni omnia favent: Redeunti Ciceroni Antium praetereundum erat; de dote queritur, quam paulo post nuptias Crassipedi collocandam fuisse verisimillimum est; epistula VII — id, quod Rauschenus

16) Atque tenemus ni fallor Attici responsum: epistula enim VIII ineunte *multa*, inquit Cicero, *me in epistula tua delectarunt, sed nihil magis quam patina tyrotarichi; nam de rauduscula, quod scribis*, μήπω μέγ' εἴπης πρὶν τελευτήσαντ' ἴδης. Apparet Atticum de nimia Ciceronis parsimonia iocose respondisse.

etiam concedit — ex illo itinere scripta est in eaque de domo etiam ex Arpinati Attico mandata mittit.[17])

Valde autem verisimile est non solum usque ad Non. Mai. mansisse Antii Ciceronem, sed etiam diutius ibi remoratum esse permotum eis quae audierat de consiliis Caesaris et Pompei Lucae habitis. Etenim quod ipse fratri scribit (II, 6,1): *Adiurat Procilius hoc* (sc. denegatio supplicationis) *nemini accidisse*; *mihi cum sua sponte iucundum, tum iucundius, quod me absente est enim* εἰλικρινὲς *iudicium sine oppugnatione, sine gratia nostra eram ante quod Idibus* . . . e. q. s. (sic Mediceus), facere non possum quin Mommseni verbis, qui legit: *absente. Etenim* εἰλικρινὲς . . . *erat. Ante quod* . . . Orellii correcturam lenissimam praeferam: *Eram Antii.* Neque quicquam verisimilius est quam Ciceronem ibi remoratum esse in fine itineris, praesertim, cum de causa Miloniana, quae agi debebat Cicerone defendente Non. Mai. nihil omnino traditum sit. Itaque equidem puto M. Tullium omnino eo tempore, quo Langius Rauschenusque eum putant orationem de haruspicum responsis habuisse, Romae non fuisse; sin ibi fuit, quid illo tempore de republica senserit, scimus nunc, idque minime cum his, quae viri docti existimant, consentire videbimus. Langius (ant. Rom.² III p. 330) enim, cui Rauschenus (l. l. adn. 50 p. 41) nulla causa addita assentitur haec profert: *Als Cicero die Rede de haruspicum responso hielt, hatte er offenbar* (*cf.* § 52) *noch keine Ahnung von dem Auftrage des Pompeius an Quintus Cicero (Cic. fam. I, 9,9), ihn zu warnen . . . . Dagegen war es eine Folge der erhaltenen Warnung, dass Cicero am 15. Mai . . nach Antium gegangen war.* Vult igitur orationem Ciceronem habuisse ineunte Maio nesciumque fuisse illo tempore eorum, quae Id. Apr. Lucae acta sunt: quod perversum esse nemo non videt. Neque § 52 omnino ad rem quicquam affert. In totius autem

17) In his Langio assentior, qui (antiq. Rom.² III. 330) putat epistulam ad Lucceium (= ad div. V, 12) datam esse ex illo itinere. Sed cum scripta sit inter V et VI libri IV ad Atticum, non dedit, ut putat vir doctus „elatus victoria parta", sed iam attristatus rebus in republica gestis. cf. etiam ep. ad. div. I, 9, ubi de eodem tempore scribit.

orationis cursu equidem nullam causam video, cur illam habitam esse ante mandata Vibullii perlata credamus. Quare recte de eis, quae Cicero, cum orationem haberet, de republica sentire coactus sit, Ihnius disputare videtur hisce (hist. Rom. VI p. 393): *Diese beiden Todfeinde* (sc. Clodius et Cicero) *konnten ihre Privatfehde nicht einmal im Interesse ihrer Partei ruhen lassen. Sie fanden sich jetzt nicht mehr in feindlichen Reihen einander gegenübergestellt, sondern waren beide zu Verbündeten der Triumvirn geworden.* Ipse tamen in communem errorem postea incidit, cum hanc orationem ante illam de provinciis consularibus habitam esse censeat. — Atque hoc solum ex ipsa oratione elicere possumus habitam esse eam et multo post Megalesia (cf. *illo die* § 22) et conventu Lucae iam acto. Clodium enim hoc demum tempore Pompeio amiciorem esse redditum opera Caesaris Crassique constat. Iam, cum praeterea nullum temporis indicium inveniri possit, etiam viri clarissimi, cum Marklandus tum Wolfius multis persuadere potuerunt orationem omnino Ciceroni abiudicandam esse. Atque difficilis sane est quaestio temporis definiendi, praesertim, cum Tullius ipse non sine causa multis locis tam obscure locutus sit, ut opinionem occultare quam explicare maluisse videatur. Neque tamen puto infirmari posse sententiam nostram, orationem habitam esse, cum iam pacem cum Caesare fecisset Cicero. Nusquam enim contra III viros ipsos verba facit, Clodium aggreditur, a quo lacessitus erat. In expositione rerum, quae ante exilium suum gestae erant, tandem de Caesare loquitur, sed moderatissime. Certe queritur de Clodio ad plebem traducto, etiam Pompeium (vid. § 45) subaccusat; haec vero, quoquo loco de exilio loquitur, facit. Sequentibus verbis Pompeium laudibus effert, deinde contendit Clodium ea, quae de III viris, imprimis de Caesare dixerat, ementitum esse. Ipsum illum etiam principibus hostem factum tam vivaciter depingit, ut facere non possim, quin toto huius orationis cursu quam maxime veram suam sententiam occultasse ac se quodammodo defensorem III virorum putari voluisse dicam. Ab altera autem parte longe ab eis optimatibus, qui contra Pompeium faciebant, recessisse se ipse expressis verbis ex-

plicat. Discordia optimatium ei videtur, quod Pompeius iique, de quibus multis locis *mirari* se dicit inter se dissentiunt.[18]) Hic intellegere possumus sententiam iam mutatam. Tamen Clodio aperte adversari eum, quamquam etiam ille a partibus III virorum stabat, mirari nos minime decet; caecum enim odium inter se et illum, quodque extingui nullo modo possit, extitisse ubivis Tullius ostendit. Itaque, cum nullam nobis causam esse demonstraverimus, ut orationem de haruspicum responsis ante illam de provinciis consularibus habitam esse statuamus, accipiendus mihi videtur etiam in his disponendis ordo, quo Parisinus eas exhibet.

Restat igitur, ut de orationibus, quae supersunt in Parisino verba faciamus, hoc est de Balbiana et de Caeliana. Atque cum in prioribus ordinem temporum servatum esse videamus, in Caeliana de hac opinione deflectendum videtur.[19]) Eam enim ineunte Aprili Ciceronem dixisse negari non potest. Nam initio de diebus festis loquitur, quibus iudicium de reo exerceatur, atque in fine *paucis his diebus* Sex. Clodium absolutum esse commemorat; in epistula autem ad Quintum fratrem missa (II, 4,5) haec scribit: *Unum accidit imprudentia Milonis incommode de Sex. Clodio, ... ei tres sententiae deterrimo in consilio defuerunt.* Haec epistula, cum dubitari nequeat, quin multo ante conventum Lucae actum data sit, absolutio illa exeunte Martio accidisse putanda est. Itaque Caelianam, quam paulo post habuit, multo ante orationem de provinciis consularibus et quidem Megalensibus dictam esse recte viri docti intellexerunt. Neque parvi hoc faciendum videtur in hac una oratione errasse editorem corporis, cuius Parisinus exemplar est. Hoc enim errore apparet non emanasse hoc corpus ex Asconiano illo, sed posteriore tempore confectum esse. Manifestum est editorem secundum ordinem temporis disponere orationes voluisse. Erravit inscitia, cum iam aevi Ciceroniani notitia ex hominum memoria elabi coe-

[18]) operae pretium est conferre, quae in Sestiana quaeque hic de optimatibus dixerit.

[19]) ad ea, quae sequuntur cf. imprimis Franckenium in Mnemos. vol. VIII p. 201 (1880).

pisset. Atque accedit, quod decipi se passus est declamatione subditiva stultissima: pridie quam in exilium iret.[20]) Itaque haec sylloge posteriore demum tempore facta est.

In Parisino autem rectius ordinem orationum esse servatum quam in reliquis codicibus elucet. Differt enim Harleianus 4927 a Parisino ita, ut Vatinianam a Sestiana avellat, hanc ultimo, illam quinto loco ponat; inter eas exhibet Caelianam, Balbianam, deinde orationem de haruspicum responsis et de provinciis consularibus. Hic igitur ordo genuinus plane iam confusus est. Bruxellensis 5345 tantum Balbianam Caelianamque falsis posuit locis, hanc quarto, illam octavo, ceteras recte disponit. Erfurtensis excepta Vatiniana, quam initio collocavit, ordinem Parisini servat. Neglexi autem alia opera Tulliana in his codicibus descripta, e quibus Caesarianas tantum Bruxellensis, Harleianus et Erfurtensis multa etiam alia exhibent. Tamen hoc tenendum est, quod neque in Harleiano neque in Bruxellensi expressis verbis dictum inveni, de Erfurtensi vero probare possum[21]): has decem orationes annorum 697.8.|57.56. quondam in uno codice extitisse coniunctas, postea demum in libris recentioribus cum aliis Ciceronis scriptis mixtas esse.

Repetendum in fine huius capitis breviter duxi, quae mihi de Tullianarum orationum editionibus demonstrasse videar. Ipsum Ciceronem quamquam plerumque orationes singulas separatim edidit, verisimillimum est Verrinas, certum orationes X in consulatu habitas cum duabus, quas ipse ἀποσπασμάτια vocat, singulis corporibus coniunxisse.

---

[20]) hanc post primum saeculum extitisse Bobiensis spondet, qui ante eam, qua senatui post reditum gratias egit Cicero, aliam subditivam tum pervulgatam commemorat.

[21]) quod enim Wunderus in libro: Variae lectiones ex cod. Erfurtensi enotatae (Lips. 1827) p. XXXVI dicit orationem Vatinianam, pridie quam in exilium iret, post reditum utramque, de prov. cons., de har. resp., pro Balbo, pro Caelio ex uno eodemque exemplari descriptas esse: non vidit idem valere de Sestiana et de or. de domo, quae amissae sunt. His insertis, quas fuisse antea in codice ex indice praefixo constat, exemplar antiquum X orationes illas complectitur.

Haud ita multo post M. Tullii mortem — fortasse a Tirone — editio omnium orationum secundum rationem temporis confecta est. Haec, quamvis primo secundoque p. Chr. n. saeculo eis, qui Ciceronem lectitarunt vel commentati sunt, ut Asconio Bobiensique, in manibus fuerit, tamen praeterea et Verrinarum, Catilinariarum, Caesarianarum, Philippicarum corpora et haec secundum temporis rationem disposita edebantur. Atque haec cum certis temporis finibus circumscribi possint, de reliquis non contigit accuratum facere iudicium. Patet autem postea ordinem illius Tironianae editionis confusum esse aliaque ob eam rem corpora extitisse. E quibus nobis vestigia servata sunt in palimpsesto Vaticano Palatino 24, in manuscripto a Poggio invento, in Vaticano Basilicae H 25. In his omnes orationes ex litterarum serie dispositae erant. Deinde nobis traditum est corpus orationum 697.8.| 57. 56. habitarum, quod et ipsum posterioribus temporibus constitutum videtur. Nostram vero sententiam de omnibus orationibus a scholiasta explicatis conceptam testimoniis etiam extrinsecus adsumptis comprobari patet.

III.

Hoc capite cum propositum sit agere de tempore, quo commentarius Bobiensis compositus esse videatur, primum repetendum est id, quod omnes viri docti iam intellexerunt, scholia non margini ascripta fuisse, sed ab uno homine confecta et per se edita esse. Etenim genus dicendi ubivis idem est eodemque modo ubivis verba Ciceronis scholiasta interpretatur: hoc quisquis commentarium leget facile ipse agnoscet. Deinde quaedam scholia vel inter se vel cum lemmatum verbis eodem modo, ut apud Asconium saepissime invenimus, coniuncta spondent commentarium esse librum perpetua serie scriptum.

Ita $233,_{2}$ plura lemmata interpretatur commentator continuis scholiis. Eiusdem generis sunt $276,_{22}$ sqq. $289,_{13}$ sqq. etiam $402,_{24}$ sqq.

Deinde adserendae sunt: $265,_{26}$. $343,_{12}$. $350,_{8}$. $352,_{13}$. Agmen claudat $317,_{5}$.

Praeterea huc pertinent et $303,_{29}$ et adnotationes, quae a particula *nam* vel *enim* etc. initium sumunt, cum eae artissime hoc modo cum verbis lemmatis coniunctae sint; huius rei multa per commentarium exempla extant.

Jam ad ipsam quaestionem accedamus atque ab ordine orationum in palimpsesto servato incipiamus. Etenim cum intellexerimus olim omnes orationes Tullianas in commentario extitisse secundum temporis rationem dispositas, nunc eum quem codex praebet ordinem plane ab illo diversum esse videbimus. Repetenda igitur breviter sunt, quae supra iam exposuimus (pag. 9). Librarium cum in numerandis singulis quaternionibus errasse manifestum sit cumque earum tantum orationum ordinem constituere possimus, quae in eadem pagina se excipiant, duas series tenemus:

I. pro Flacco, post reditum in senatu et apud populum, pro Plancio, de aere alieno Milonis, pro Archia.

II. pro Milone, pro Sestio, pro Vatinio.

E tribus, quae supersunt, pro Sulla, in Clodium et Curionem, de rege Alexandrino hoc tantum comperimus primam ab altera excipi videri.

Accedunt his orationes in Verrem, pro Murena, de domo.

Haec ex codice eliciuntur; interpretis verba testantur post Murenianam Milonianam, Sestianam, Vatinianam positas esse. 283_{2}. *Hic P. Scipio Aemilianus, ut in proxumae orationis commentario iam locutus sum,* . . . ad Murenianae caput XXXVI spectat.

292_{31} *Multa quidem in orationis cursu praetermittemus quae propter similitudinem causae in commentario proxumae orationis ostendimus* Milonianam respicit.

320_{6} *De hoc tempore locuti sumus in oratione, quae hanc praecedit* ad scholion Sestianae 308_{26} referendum est.

Quare, cum alium ordinem orationum teneamus atque quem olim extitisse videramus, retractatum esse commentarium antiquum consentaneum est.

Deinde, cum in illo omnes orationes certo sciamus explicatas fuisse, in eo, cuius partes nos tenemus, quot fuerint, ignoramus, neque eis adnotationibus, quibus praecedentes respicit interpres, satis ad ambitum totius operis definiendum adiuvamur. Quare, cum certe Mai opinio (p. 283 adn. 3) de corpore secundum litterarum seriem constituto falsa sit, ne de consilio quidem interpretis in disponendis eligendisve orationibus iudicare possumus.

Iam, quonam tempore hic commentarius compositus sit, viri docti dissentiunt. Nam et genere dicendi et verbis scholiastae ipsis hi IV, illi V saeculum significari putaverunt. Schillingius etiam in dissertationis extrema parte (p. 29) verba collegit, quae ei partim posteriorem, partim extremam linguae latinae aetatem testari viderentur. Equidem non ita inter se differe puto auctores III. IV. V. saeculi, ut de unoquoque diiudicari possit ex solo genere dicendi, utrum hoc an illo saeculo vixerit.

Tamen negari non potest eo loco, quem omnes viri docti inde a Maio afferunt, 256_{8} multum a Ciceronis tempore se

abesse scholiastam testari. Verba enim ibi facit de sollemni consuetudine feriarum Latinarum tamquam de vetere superstitione. Atque quamvis superstitio idem atque religio saepius significet, tamen de sacrificio illo veterrimo in monte Albano celebrato apud auctores priorum saeculorum tale dictum non invenies.

His igitur cum parum proficiamus, transeamus ad ea, quae propria interpretis sunt, vocabula laudativa: Haec enim accuratius tractanda puto, quamquam qui antea de hac re egerunt, satis habuerunt consuetudinem adnotare. Sed antequam proferam, quid de his, quae saepissime in commentario usu venire videmus, sentiam, enumerandi sunt loci, quibus scholiasta hoc modo Ciceronis laudem praedicet; Schillingius enim, qui solus eos enumeravit, nonnullos omisisse videtur. Atque invenitur:

acute: $270,_{22}$. $309,_{15}$; acutissime $243,_{13}$. cf. acuta responsio $360,_{7}$, acutissima responsio $267,_{27}$, acutissimus συλλογισμὸς $360,_{3}$.

admirabiliter: $257,_{1}$. cf. admiranda discretio $260,_{20}$.

artificialiter $243,_{1}$.

bene: $243,_{11}$. $343,_{19}$.

callide: cf. oratorie.

consulte: $343,_{4}$, $361,_{10}$. cf. consultissime $317,_{1}$. consultissimo temperamento $298,_{1}$. consultissima discretio $360,_{20}$.

diligenter: cf. orator diligentissimus $240,_{28}$. summa diligentia: $235,_{21}$,

efficaciter: $276,_{28}$.

eleganter: $240,_{35}$. $242,_{1}$. $265,_{12}$. $273,_{2}$. $294,_{14}$. $355,_{15}$. cf. elegans verbum $241,_{17}$. elegans ἀφορμὴ $403,_{18}$. eleganti proprietate $303,_{3}$. elegantissime $290,_{19}$. $338,_{10}$.

eximie: cf. eximius locus ad permovendos iudices $272,_{28}$.

festive: cf. valde summa cum festivitate $240,_{20}$. festivissime $239,_{4}$. $337,_{5}$.

insigniter: $296,_{17}$. $350,_{6}$.

iucunde: cf. iucundissime $245,_{28}$.

mire: $230,_{17}$. $267,_{10}$. $297,_{1}$. cf. mira . . . $361,_{7}$. mira cum ve-

recundia 270,7. mira brevitate 287,24. mira prudentia 286,12.

modeste: cf. modestiae temperamento 267,30.

moventer: 284,19.

opportune: 308,16. 331,13. 358,7. cf. opportunissime 290,9. 307,16. opportunissima apostrophe 294,2. locus opportunior 285,6.

oratorie: 229,11. 251,1. 260,30. 316,16. 343,12. 347,24. 368,25. 405,22. cf. oratorius stomachus 240,35. oratorio more 261,22. oratoria calliditas 230,2. oratoria subtilitas 361,18. vis oratoria 298,13.

pertinenter: 279,2.

potenter vel potentissime: 243,24. 259,24.

prudenter: 258,1. 294,32. cf. prudentissime: 286,28. 302,29.

sagaciter: cf. sagacissime: 257,9.

salubriter: 362,11. 365,22.

sollerter: cf. sollertissime 238,1. 267,8. 285,15. orator sollertissimus 289,23.

subtiliter: 293,12. 343,4. cf. subtilitas 361,18.

valide: cf. ratiocinatio valida 289,17. validissime 248,15. argumentatio validissima 240,29.

vehementer: 228,24. 240,15. 242,21. 331,1. cf. vehementius 313,13. 331,16. locus vehemens ad augendum 404,17. vehementi παραπροσδοκίᾳ 404,33.

vigilanter: 233,19. 234,5. 251,8. 258,11. 262,17. 280.16. 368,20. 403,33. cf. vigilantissime 254,24. 285,9. 309,6. 322,22. 367,5.

vincenter: 289,24. 367,11.

vivaciter: 258,33. 282,21. cf. vivacitas 277,7.

urbane: 269,21,

utiliter: 239,12. 355,3.

Origo huius consuetudinis videtur petenda ab eisdem, a quibus omnis ars critica ad Romanos pervenit: a Graecis. Atque inter eos primum Aristophanem Byzantium arti poetarum scaenicorum recensendae operam dedisse Trendelenburgus demonstravit[1]). Itaque multo plura huius rei exempla in scholiorum ad poetas collectorum corporibus invenimus quam

[1]) Grammaticorum graecorum de arte tragica iudiciorum reliquiae. Bonnae 1867.

in eis quae ad oratores interpretandos conscripta sunt: plurima in scholiis Sophocleis Euripideisque ita, ut complurium, quae enumeravimus adverbiorum ἀντίτυπα in eis reperiamus:

a d m i r a b i l i t e r, m i r e: θαυμαστῶς.
a r t i f i c i a l i t e r: τεχνικῶς.
b e n e: εὖ, καλῶς.
e x i m i e: δαιμονίως, γενναίως.
i u c u n d e: χαριέντως.
m o d e s t e: αἰδημόνως.
p o t e n t e r: δυνατῶς.
u r b a n e: ἀστείως.

Verbo: o r a t o r i e: τραγικῶς respondet, ad v i g i l a n t e r cf. schol. Hipp. 566: καὶ τοῦτο εἰκότως φυλάξαντος τοῦ τραγικοῦ, ad q u a n t a v i s o r a t o r i a ὅρα τὸ εὐφυὲς τοῦ ποιητοῦ schol. Orest 414.[2])

Neque tamen apud latinos interpretes talia adverbia invenimus ante III saeculum; in Porphyrionis commentario primum illam consuetudinem reperimus; nondum tamen tam frequens ut apud Bobiensem in eo adverbiorum usus occurrit. Contra saepissime haec verba laudativa in Donati commentariis Terentianis leguntur et simili quidem ratione usurpata, ita ut ad eius temporum consuetudinem scholasticam commentarios Bobienses iure referre videamur; cum utroque autem conferam, quae Bobiensis habet rariora omissis vulgaribus ut b e n e, m i r e, o r a t o r i e, e l e g a n t e r, o p p o r t u n e, quae passim in illis leguntur. Videbimus autem etiam in his multo saepius ad Donatum nos relegari quam ad Porphyrionem.

a c u t e: Don. (ed. Klotz) Hec. III, 1,48 (238). cf. acutius Ad. V, 8,17 (940). acuta inventio Eun. I, 2,62 (143).
a d m i r a b i l i t e r: Don. Andria I, 1,13 (40). 34 (61).
a r t i f i c i a l i t e r: non invenitur; artificiose passim.
c a l l i d e: saepissime apud Donatum invenitur: enumerabo locos tantum in Eunuchi commentario: I, 2,8 (88). 94 (174). II, 3,82 (374). 86 (378). III, 1,31 (421). 2,18 (471.)

[2]) His exemplis facile aliquis multa addere possit: cf. Schwartzium in ind. analyt. schol. Eurip. (II, 404 sqq.)

V, $1,_{13}$ (829). $2,_{56}$ (895). $4,_{37}$ (959). cf. calliditas I, $2,_{20}$ (100).

diligenter: Porph. (ed. Meyer) diligentissime $186,_{27}$ (serm. I, $1,_{56}$). Don. diligenter: Andria I, $1,_{62}$ (89). cf. diligentiore iudicio Hec. III, $2,_{19}$ (354).

efficaciter: Don. cf. conclusio efficax. Andria, I, $5,_{60}$ (295).

iucunde: Porph. $25,_{14}$ (carm. I, $19,_{12}$). $53,_{2}$ (carm. II, $5,_{7}$). $56,_{16}$ (carm. II, $7,_{13}$). $147,_{20}$ (epod. II, $_{59}$). $161,_{16}$ (epod. X, $_{3}$). $219,_{3}$ (serm. I, $5,_{104}$). cf. iucundissime $122,_{19}$ (carm. IV, $1,_{33}$). Don. iucunde Hec. II, $2,_{8}$ (250). cf. iucunda repetitio. Phorm. pr. 1 (1).

modeste: Don. And. IV, $5,_{5}$ (800). Phorm. V, $8,_{34}$ (1023). Hec. IV, $4,_{24}$ (646). Ad. I, $1,_{40}$ (65). $_{43}$ (68).

potenter: Don. Ph. II, $1,_{52}$ (282).

prudenter: Porph. cf. prudentissime $222,_{13}$ (serm. I, $6,_{49}$).

subtiliter: Porph. $281,_{16}$ (epist I, $12,_{28}$). Don. And. V, $1,_{4}$ (823). Eun. V. $2,_{67}$ (906). Phorm. II, $3,_{14}$ (361). Hec. II, $2,_{18}$ (260). $_{20}$ (262). cf. transitus subtilissimus: Ad. I, $1,_{15}$ (40).

valide: cf. validissimum Don. Hec. III, $2,_{9}$ (344).

vehementer: Don. Eun. II, $2,_{13}$ (244). cf. vehementius. Eun. I, $2,_{99}$ (179). non potuit vehementius incipere: Ph. II, $1,_{1}$ (231). vehementius Hec. III, $2,_{4}$ (339). IV, $1,_{30}$ (545).

vigilanter: Don. Hec. I, $2,_{75}$ (150). V, $1,_{30}$ (756). V, $3,_{3}$ (801). Ad. III, $4,_{10}$ (456). cf. et simul vigilavit poeta: Ph. I, $2,_{87}$ (157). vigilantia Hec. V, $2,_{8}$ (774). adverte vigilantem poetam Ad. II. $1,_{43}$ (197).

urbane: quod apud Donatum non invenitur saepissime in Porphyrionis commentario occurrit.

Reliqua, quae supra enumeravi, adverbia, quamvis ipsa in illis scholiis non legerim, tamen synonyma ubique facillime reperiri possunt.

Iam igitur vidimus rationem, qua utitur Bobiensis in interpretando Cicerone, IV saeculi usum prodere.

Neque ab eiusdem temporis consuetudine abhorrent graeca verba, quae frequenter plane ut Donatus commentario inseruit. Praeter ea autem, quae ex arte rhetorica

hausta sunt, haec extant: 255,15 ἔγκλησις, 278,4 μυθῶδες, 278,18 ἐναντία; 236,18 χειροτονία, 241,21 τραπεζῖται, 257,20 ψήφισμα 306,3 λειτουργοί.

Itaque cum commentarium saeculi quarti esse intellexerimus, iam quaerendum est, utrum integrum eum teneamus an partes tantum servatae sint. Huius quaestionis alteram partem recte Schillingius tractavit. Nam cum 283,2 scholiasta dicat *in proxumae orationis* (i. e. Murenianae) *commentario* se de Scipione verba fecisse et cum in palimpsesto hic commentarius non extet, patet librarium totius operis singulas tantum partes in suum librum transtulisse. Sed alteram partem, quae ad singularum orationum scholia pertinet, sintne nobis integra servata necne, quamquam attigit vir doctus, non recte tractavit. Scholia, inquit, a librario ad verbum transscripta esse iam ea re satis apparet, quod illud *in proxumae orationis commentario* descripsit, quamquam Murenianam orationem omiserat. Tamen eis nihil demonstratur nisi id scholion integrum a librario descriptum esse. Immo ego demonstrare posse mihi videor scholia ita excerpta esse, ut non solum in singulis orationibus magna pars adnotationum omissa sit, sed etiam saepius in scholiis ipsis verba integri commentarii mutata vel omnino neglecta.

In omnibus enim orationibus plurima aliis capitibus scholia adduntur, aliis nulla fere, quamquam neque breviora haec sunt quam illa neque rebus interpretandis carent. Itaque cum nulla huius rationis causa inveniri possit, excerptum a librario commentarium esse consentaneum videtur. Optime autem hoc in Sestiana Vatiniana Archiana perspicitur. E quibus in prima postquam XIII capita accuratissime explicavit interpres, nullum scholion XIV, XV, XVI addit; eodem modo nihil in XXX et XXXII adnotat, in XXXI unum scholion adiecit. Contra in XXXIII, quamquam plurima in lacuna perierunt, tres locos interpretatus est. Scholia capitis XLVIII sequuntur, quae adnotantur LI. Eodem modo in Vatiniana XIII caput plane neglegitur, quamquam reliqua copiosissime tractantur. Atque

plane eadem ratione excerpta esse scholia in Archiana cognoscemus. Initium capit scholiasta a capite II; in III undecim lemmata explicat, in IV unum, in V quattuor, in VI unum, nullum in VII, singula in VIII et IX, contra quinque in X, duo in XI, unum in XII. In his igitur orationibus scholiorum magnam partem omissam esse manifestum est; reliquarum etsi minus apertam tamen eandem esse condicionem facile invenias.

Accedit ut in scholiis ipsis verba omissa vel mutata sint. Certissima huius rei argumenta ponam: Cum ubique consuetudo scholiastae occurrat graecis verbis rhetorica adnotare, hanc in eis orationibus, quae sunt in Clodium et Curionem et de rege Alexandrino habitae, perraro, in Archiana vero nusquam invenimus. Verba igitur graeca non ab interprete ipso, sed ab eo tantum, qui in eam formam quam tenemus, scholia redegit omissa esse patet. Mutata autem scholia esse firmissimum est argumentum genus dicendi in quibusdam ita ab usitato diversum, ut ab eodem homine, qui cetera conscripsit illa originem ducere non possint. E quibus unum locum iam Gaumitzius Schillingiusque tractaverunt. Tamen cum ab illis dissentiam eum integrum adscribam addita etiam argumenti ea parte, qua eandem narrationem scholiasta praebet, ut magis, quantum inter se differant genera dicendi, appareat.

329,$_{23}$. *Nam visus est in domo pontificis maximi C. Caesaris eiusdemque praetoris incestum fecisse* (sc. Clodius) *cum eius uxore Pompeia eo tempore, quo per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonae Deae sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat. Unde elapso tamen Clodio, magna invidia percrebuit et infamia caerimoniarum, ut senatus de-*

336,$_{22}$. *C. Caesaris pontificis maximi praetoris domi sacrificium sollemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri quod introierat, sacrificium instauratum est. Res ad senatum delata est. Patres conscripti decreverunt, ut de ea re non aliter quam de incestu quaereretur. Eo crimine reus factus est P. Cl. Pulcher, delatore L. Lentulo, qui consul*

cernere cogeretur omni diligentia consulum pervestigandum, si quod esset publicis religionibus illatum flagitium. Accedebat huc etiam praeiudicium quoddam C. Caesaris ipsius pontificis, qui uxorem suam ilico repudiavit. Post quod reus de incesto factus est P. Clodius accusante L. Lentulo defendente C. Curione patre.

fuit post cum C. Marcello, subscribentibus Cn. et L. Lentulis. Aurelia Caesaris mater testis in iudicium citata est. Ea pro testimonio dixit suo iussu eum esse dimissum. Idem dixit Julia soror Caesaris. Et tamen post haec absolutus est.

Scholion additum esse ab alio atque qui argumentum scripsit Gaumitzius putat: *Beide Stücke*, ut eius verbis utar, *können unmöglich von demselben Verfasser sein. Es ist nicht denkbar, dass ein Erklärer in derselben Rede ohne Verweisung noch einmal dieselbe Geschichte, von der ja die ganze Invektive handelt, ausführlich und als etwas neues erzählt, die er wenige Seiten vorher in der Einleitung, dem einzig passenden Orte, gebracht hat. — Dazu kommt der Unterschied in der Diktion. — Nicht unwahrscheinlich ist es mir, dass der Zusatz aus Cicero ad Attic. I,12 und 13 und dem Argument zusammengeschrieben ist.* Contra Schillingius integrum putat locum, cum saepius res narratae in commentario retractentur. At hoc Gaumitzius recte exposuit mirandum esse, quod ne uno quidem verbo ut aliis locis scholiasta ad priorem narrationem nos relegat. Hunc enim eius morem esse permultis locis evincitur, e quibus magnum numerum vir doctus congessit in pag 13. Excidisse igitur ibi verba u t i n a r g u m e n t o p r a e l o c u t i s u m u s (cf $261,_{17}$. $332,_{4}$.) vel similia manifestum est. Deinde ne hoc quidem negari potest plane abhorrere dicendi genus ab eo, quo interpres in commentario utitur. Ne tamen credat quis revera alium operam dedisse, ut Gaumitzius vult epistulis Ciceronis legendis: testimonia mulierum, accusatoris subscriptorumque nomina ibi omnino non commemorantur.[3]) Restat igitur, ut dicamus mutata hoc loco verba esse scholiastae a li-

[3]) petita sunt omnia ex oratione ipsa: cf. $338,_{24}$.

brario. Atque fugit illos quod eiusdem generis scholia alia extant, ut quod statim sequitur:

337,$_{9}$. *Nam fuit hoc Claudiae familiae cognomen illustre. Quippe antiquitus P. Claudius Appi Caeci filius primus ex isto genere Pulcher appellatus est. Hic consul apud Drepanam adversus auspicia Poenis classe conflixit. Ea pugna Romanorum naves perierunt CXX. Ob id factum dies ei dicta est perduellionis a Pullio* (*Tullio* Maius) *et Fundanio tr. pl. Cum comitia eius rei fierent, et centuriae introducerentur, tempestas turbida coorta est. Vitium intercessit. Postea tr. pl. intercesserunt, ne iidem homines in eodem magistratu perduellionis bis eundem accusarent. Itaque actione mutata, iisdem accusantibus, multa inrogata, populus eum damnavit aeris gravis CXX millibus.*

et deinceps:

338,$_{24}$. *Praetexuntur argumenta, quibus incestus P. Clodii potuerit facillime probari, nisi pecunia intercessisset: Nam C. Caesar pontifex diebus illis repudiarat uxorem. Feminae quoque, quae illi sacrificio interfuerant, de interventu virili testimonium dixerant. Servi etiam, cum peterentur in quaestionem, alienati fuerant et in diversas provincias ab domino missi.*

Etiam his locis plane idem genus dicendi invenies: brevia enuntiata multo uberiora commentatoris scholia excerpta esse testantur. In Archiana quoque huiusmodi adnotationes (cf. 355,$_{20}$ sqq. 357,$_{10}$ sqq.) inveniuntur.

His rebus iam satis demonstrasse mihi videor non integrum nos saeculi IV commentarium tenere. Immo librarius et complures orationes et multa scholia non descripsit et in eis adnotationibus, quas servavit, saepius verba enuntiataque vel mutavit vel omisit.

Iam, quoniam antea vidimus in commentario IV saeculi, cuius nos partes tenemus, antiquum qui omnes Ciceronis orationes complexus erat, retractatum esse, ad illius indolem tempusque definiendum transeamus. Esse autem hunc rhetoricum et historicum viri docti omnes intellexerunt. Itaque, quonam tempore tales commentarii extiterint, quaerendum est. Atque, qui primus interpretando M. Tullio operam dedit, Asconius a Suetonio inter historicos enumeratur: enarravit

enim in interpretationibus filiis historiam aevi Ciceroniani, ne uno quidem verbo grammaticam rhetoricamve explicationem orationum attigit. Sequitur eum scholastica interpretatio, in qua primos fuisse commentarios simillimos Asconiano, scilicet nihil fere nisi historicos, in propatulo est: e quibus tamen nullum tenemus. Grammaticum scripsisse scimus Flavium Caprum. Neque enim cum Osanno (ind. lect. Giess. 1849.) negaverim verba Agroecii (gramm. latt. VII, $113_{,11}$): (*Caper*) *multis litterarum operibus celebratus, in commentando etiam Cicerone praecipuus* revera ad commentarium respicere. Iam rhetorica explicatio successit. Secundi enim saeculi homines videmus verbis M. Tullii ad rhetoricae artis normam interpretandis operam dedisse. Ipse Fronto in epistula (p. 190 Nab.) ad Volumnium Quadratum missa promittit se ei Ciceroniana emendata, distincta, adnotata a se ipso daturum, quae in vulgus edere nolit.

Vetustius igitur est in commentariis Ciceronianis historicum genus rhetorico; Bobiensis autem commentarius utrumque coniungit. Qualem coniunctionem cum facile quispiam contendat recentiorem videri quam genus rhetoricum, in ipso Bobiensi contrarium evenire demonstrari potest. Nimirum si recte disputata sunt, quae in primo capite exposuimus, scholia, quae extant apud Orellium pagg. $402_{,24}$ — $405_{,30}$, exerpta sunt ex ipsis Bobiensibus. In illis rationem posterioris temporis cognoscimus: historica interpretatio omnino neglecta est, adnotationes ad rhetoricam tantum spectant. Tenemus igitur commentarium historicum rhetoricum, cuius partem historicam commentator recentior aliquis decidit. Iam ad quae tempora ille referendus sit ut cognoscatur, certior nulla via patere videtur, nisi ut ipsam rhetoricam eius artem perquiramus. Ipse enim scholiasta $287_{,3}$ de artis oratoriae legibus ita disseruit, ut certius de hac aliquid expiscari nos posse verisimile sit. Ibi hoc legimus: . . . *diducens in utramque personam coniecturalem disceptationem; quae dividetur secundum artis oratoriae legem locis duplicatis* ἀπὸ βουλήσεως *id est voluntatis* — — (lacuna) *facultatis* . . . . .

De tempore autem artis quam secutus sit, quaestio ita

definienda est, ut quaeramus utrum Hermogenis doctrinam scholiasta sequatur an non. Illius enim praeceptis ita posterioris aetatis commentatores utebantur, ut inter omnes rhetores ὁ τεχνικὸς κατ' ἐξοχὴν nominaretur. Ac primum quidem sevocandi sunt a quaestione, quibus nihil proficimus, loci. Sunt autem ei, quibus status causae nude definitur aut quibus leges oratoriae satis vulgares enarrantur. Mentio enim status coniecturalis nuda infertur $254,_3$ et $368,_7$; de coniectura duplici verba sunt $285,_{11}$ et $289,_{13}$; de incidente $289,_{13}$ et $368,_7$; de qualitate comparativa et relativa $276,_{16}$ et $292,_{12}$; praeterea $237,_{24}$. $246,_{23}$. 285 (sub finem) praecepta oratoria dantur. Ex hisce omnibus locis nihil lucrari possumus ad rem conficiendam, cum et status ipsos inde ab Hermagora notos fuisse sciamus praeceptaque illa, de quibus dixi, e vulgarissimis sint. Desperandum igitur nobis esset hac de parte quidquam proficere, nisi duo loci suppeterent, quibus de divisione status coniecturalis verba facit interpres:

$287,_1$. *Constituit in medio* κεφάλαιον τοῦ κρινομένου *et summam quaestionis brevissime comprehendit*; .... (lacuna) .... *diducens in utramque personam coniecturalem disceptationem*; *quae dividetur secundum artis oratoriae legem locis duplicatis* ἀπὸ βουλήσεως, *id est voluntatis* .... (lacuna, in qua verba καὶ ἀπὸ δυνάμεως intercidisse eis, quae sequuntur, evincitur) . . . *facultatis*, *scilicet per comparationem.*

$352,_2$. *Haec sumuntur de locis coniecturalibus, qui sunt primi videlicet in huius status divisione a voluntate et facultate i. e.* ἀπὸ βουλήσεως καὶ δυνάμεως.

His enuntiatis inter se coniunctis etiam in altero eiusdem artis praecepta Bobiensem sequi videmus. Quare, num haec divisio status coniecturalis cum Hermogenis arte congruat, diiudicandum nobis est. Haec autem habet rhetor in διαιρέσει στοχασμοῦ (Rhett. gr. ed Spengel II. p. 143): Ὁ στοχασμὸς τοίνυν διαιρεῖται, ὅτε καὶ πρόσωπα ἔχει καὶ πράγματα κρινόμενα, παραγραφικῷ ἔστιν ὅτε, ἐλέγχων ἀπαιτήσει, βουλήσει, δυνάμει e. q. s. Vides in his minime primo et secundo sed tertio quartoque loco positas esse βούλησιν et δύναμιν.

Iam elucet artis leges secutum esse scholiastam, quae ante Hermogenem aut certe ante id tempus, quo auctoritatem ille nactus est, usu veniebant. Scimus enim non solum omnes τέχνας post Hermogenem compositas eius disciplina ita imbutas esse, ut ne minimam quidem partem orationis inconsideratam inexplicatamve relinquerent oratori, sed etiam in scholiis accuratissime singulos τόπους secundum illius artem commemorari. Abest autem scholiasta quam maxime ab huiusmodi minutulis commentationibus.

Accedit quod 290,5 ἀναδίπλωσις commemoratur quam Hermogenes ἐπανάληψιν appellat (vid. περὶ μεθόδου δεινότητος). Itaque etiam hic aliam Hermogenis, aliam commentarii Bobiensis artem fuisse cognoscimus.

Iam cum constet interpretem Hermogenianam τέχνην non secutum esse, sed diversam ab illa multo simplicius τὰς τῶν στάσεων διαιρέσεις tractantem, videndum est, an cum alius quibusdam legibus praecepta scholiastae congruant. Atque in hac quaestione solvenda adiuvamur Quintiliani institutionibus, in quibus plane eandem divisionem status coniecturalis invenimus. Ibi enim VII, 2,27 tres eius partes commemorantur: *an voluerit, an potuerit, an fecerit.*

Itaque accuratius pervestigandum est, an alia quoque similiter ab interprete et a Quintiliano tractentur. Quod saepius fieri manifestum est. Etenim pergit scholiasta: *cumque sit in arte praeceptum, ut nosmet ipsos ante purgemus, tunc adversarium criminemur, quod est antiquius sine dubio et magis naturale* . . . Quintilianus VII, 2,21 in ἀντικατηγορίᾳ dicit semper priorem esse defensionem: *primum, quia natura potior est salus nostra quam adversarii pernicies* . . . Referri hoc loco Bobiensis praeceptum quis non videt?

Deinde inter schemata ἀλληγορίαν 294,28 a scholiasta commemoratam invenimus. Ibi enim: *aptissumis*, inquit, *verbis et congruentibus, quoniam „naufragium“ dixerat, custodivit sequentiam, quod ipsum nobis in omnia ἀλληγορικὰ servandum est.* Cnm his conferas velim, quae Quintilianus VIII, 6,80 profert: *id quoque in primis est custodiendum, ut, quo ex genere coeperis translationis hoc desinas.*

Eis, quae dixi, satis demonstratum est artis praecepta scholiastam sequi recentiora Quintiliano, antiquiora Hermogene. Quare cum ea altero p. Chr. saeculo usu venisse videantur, etiam commentarium illo tempore compositum esse putabimus, si, quae praeterea de eius indole dicenda sunt, cum illis congruunt.

Itaque ad eas adnotationes transimus, quae propriae ipsius scholiastae videntur, interpretatones verborum rhetoricas observationesque de verbis notabilibus rel rarioribus. Saepius scholiasta vulgarissimas voces interpretatur, ut 241,8. *turpissimus*, 242,29. *in duplum ire*, 241,30. *sumptum inferre*, 244,17. *ducere iudicium*, 264,2. *puncta*, 306,1. *immunis*, 359,6. *adorare*. Alius generis sunt adnotationes 241,3. 258,1. 304,27., quibus explicat, quid sit *ambitio*, *vis* et *ratio*, *embolium*. Horum duobus locis Maius iniuriam facit scholiastae *definitiones* interpretis probans; neque enim is est Bobiensis, qui definitiones det, sed qui, quid suo loco velit verbum M. Tullii, ostendat.

Deinde eas voces, quae propriae *veterum* sunt, explicat vel ita, ut interpretationem adiciat, cuius generis est 236,4. *Stare eos dicebant veteres, qui habebant idoneam rem familiarem*, 251,12. *voti convictos dicimus eos, qui ad effectum perveniant eorum, quae sibi evenire semper optaverint*, vel ita, ut, quae suis temporibus adhibebantur, in veterum locum substituat: 245,18. *Legationes liberae: eas nunc commeatus appellamus.* 308,16. *Nonae Sextiles: eas dicit, quae nunc Augustae nominantur.* Utriusque generis est 272,19. *Quaestorium: Hospitium quaestoris significans proprie secundum vocabulum magistratus etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem . . . omnia, in quibus variae dignitatis praesides habitent, praetoria nominantur.* 286,1. *Quos nunc vulgo muliones dicimus, eos scilicet, qui iumenta vehiculis subiuncta moderantur et regunt, eos veteres, ut animadvertis, redarios dicebant.*

Docet deinde 249,26 sqq. quid sit *palam factum* et *arbitraria funeris* et unde proverbium natum sit *cornix cornici oculos.* Imprimis vero ea verba notat, quae rariora vel nova apud veteres sunt:

242,$_{19}$. *Infatuare: Verbi novitatem consideremus.*

255,$_{14}$. *Non fucosa: Verbum et hoc notabile inter alia, quae sunt apud veteres rariora referendum est.*

310,$_{19}$. *Scalpellum adhibetur. De verbis notabilibus . . . scalpellum.*

266,$_{15}$. *Quamquam dissimilis est pecuniae debitio et gratiae: . . . Verbum hoc quoque non incuriose adnotemus, quod „debitionem pecuniae" dixit.*

324,$_{29}$. *Labeculam: Notabile* ὑποκόρισμα.

Eiusdem generis sunt, quae proferuntur

234,$_{20}$. *Nullam in re familiari sordem: Notabile hoc, quod singulari numero sordem dixit, cum de moribus ad cupiditatem pecuniae promptioribus secundum numerum pluralem consuetudo celeberrima sit „sordes" dicere. Hoc igitur de verbis rarioribus adnotemus.*

300,$_{2}$. *. . . iterum aerumna mea: Notabiliter singulari numero, non plurativo „aerumnam" dixit.*

Etiam quod *dixet* in suo exemplari invenit, id *notabiliter media verbi parte subtracta non implevisse omnibus syllabis* Ciceronem putat 296,$_{13}$ et talia saepius *apud veteres* inveniri adicit.

His adnectenda sunt τὰ ἀμφίβολα: 241,$_{17}$ *amplecti* 257,$_{19}$ *rogatio.* Denique quid intersit inter *properare* et *festinare* 289,$_{30}$, *squalor* et *maeror* 303,$_{1}$, *vis* et *virtus* 286,$_{27}$ exponit.

Itaque quod per magnam commentarii partem scholiasta singulorum Ciceronis verborum significationes explicat eo consilio, ut quae rariora et vetusta sint adnotet, hoc ad ea tempora nos relegat, quibus Frontonis eiusque sectatorum disciplina valebat. Cum ipso igitur Frontone potissimum illius rationes comparabimus. Verum cum is non commentarium scripserit, sed in epistulis de arte oratoria exposuerit, paulo aliter expressas in eo sententias invenimus. Tamen eadem et scholiastam et Frontonem doctrina gloriari multis locis intelleges, e quibus paucos afferam: p. 152 discipuli M. Aurelii artem praedicans *scis,* inquit, *verba quaerere, scis reperta recte collocare, scis colorem sincerum vetustatis appingere.* Paulo supra (p. 151), dum eundem ad rhetoricam desertam revo-

cat a philosophia, disertissimis verbis sui temporis occupationes depingit: omissis prioribus haec tantum affero: *Tum si quando tibi negotiis districto perpetuis orationibus tempus deesset, nonne te tumultuariis quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas, synonymis colligendis, verbis interdum singularibus requirendis?* — p. 12: M. Antonium summis laudibus effert, quod voce quadam usus est, qua sublata aliud eiusdem ponderis et usus nequeat subdi. Neque praetereundum censeo ob eam causam tantum Ciceronem a Frontone vituperari, quod (cf. p. 63 Nab.) cum cetera genera verborum uberrime tractarit, tamen in eius orationibus paucissima reperiantur insperata atque inopinata verba, *quae nonnisi cum studio atque cura atque vigilia atque multa veterum carminum memoria indagantur. Insperatum autem atque inopinatum verbum appello, quod praeter spem atque opinionem audientium aut legentium promitur.* Cum his Frontonis verbis conferas velim, quae scholiasta adnotat: *hoc de verbis rarioribus adnotemus* (234,23) vel *verbum et hoc notabile inter alia, quae sunt apud veteres rariora* (255,14) vel *verbi novitatem consideremus* (242,19): iam videbis plane Frontonis doctrinam commentarium sapere.

Multo vero maior similitudo inter interpretem Bobiensem et Gellium intercedit. Omnino enim hic plurimis locis significat idem studium verba elegantiora requirendi. Ita XVIII, 7,2 quaerit, an rectum sit pro δημηγορίᾳ: *contionem* dicere. Eodem modo XVI, 7 Laberium multa verba novasse dicit totumque id caput huiuscemodi verbis rarioribus vel obsoletis inquirendis tribuit. Item in capite VII libri IX verba etiam ex Laevii Alcesta nove et insigniter dicta excerpsit.

Iam haec, quae de arte rhetorica atque de indole commentarii exposui, congruunt cum ratione, qua interpres usus est in laudandis auctoribus. Etenim manifestum est eum inter latinos praesertim eos advocare, qui iam aliquam ex antiquitate gloriam adepti esse videbantur: 383,10. C. Laelii Sapientis verba, 289,32. et 310,32. Catonis Censorii, 265,3. C. Gracchi affert. Contra nullum Augusti aetatis auctorem laudatum invenimus nisi Vergilium, cuius celeberrima sententia infertur p. 251,27: *forsan et haec olim meminisse iuvabit.*

Atque eandem videmus consuetudinem Frontonis. Ad *veterum* orationes saepissime M. Aurelium relegat; Catonis Gracchique mentionem in utriusque epistulis factam plurifariam invenies, nusquam Vergilii. Quin etiam tum demum declamationem Fronto laudat, si color antiquitatis in ea servatus est, tum demum habere eam probandi vim censet, si ad veterum exemplar conficta conformataque videtur. Gellius autem quamquam etiam Vergilium ubivis laudat, tamen in hoc consuetudinem sui saeculi secutus est, quod plurimis locis, praesertim eis, quibus quid verbum significet explicat, e *veteribus* auctoribus exempla affert. Ita plurimis locis Catonis mentionem infert: II, 6,7 ad vim verbi vexandi explicandam; III, 14,17 habet: *(Cato)* „*dimidiatum digitum*“ *non* „*dimidium*“ *(dicit)*. IV, 12. quid sit *impolitiae* Catone interprete explicat. XX, 11 de *sequestro positum* Catonis verba addit. Quid, quod XVI, 14,2 cum significare vellet, quomodo differrent inter se verba properandi et festinandi, eundem Catonis locum affert atque scholiasta.

Vidimus commentarii artem rhetoricam, rationem interpretandi, auctores laudatos usum alterius post Christum saeculi spectare. Neque etiam, quod Maius (p. 286 adn.) putat interpretis aetatem, cum Ciceronem inter veteres recenseat, multo sequiorem M. Tullii esse, huic repugnat. Inter veteres autem recenset scholiasta eum 263,16, ubi ad eius auctoritatem revocat *veteres* dixisse *stare* eos, qui idoneam rem familiarem habuissent. 255,14. *verbum et hoc notabile inter alia, quae sunt apud veteres rariora referendum est.* 286,2. *quos nunc vulgo muliones dicimus . . . eos veteres . . . redarios dicebant.* 296,14 postquam narravit *notabiliter* Ciceronem *dixet* dixisse: *Inveniuntur autem apud veteres pleraque huiusmodi.* cf. 304,28. *Clodiam . . . veteres*[4]) *litterae tradunt studiosam fuisse saltandi profusius quam matronam deceret. Hoc enim significatur verbo, quo ait* „*omnia sororis embolia*

---

[4]) hic quamquam *vetus* Sallustius est, tamen sequentibus etiam Ciceronem *veterem* appellari apparet.

novit". 234,29. *Labeculam: Notabile ὑποκόρισμα. Sic tamen veteres et aetatulam et nubeculam dixerunt.*

Hos locos ideo excripsi, ut manifestum fieret omnes ad vim verborum significandam spectare et quam maxime doctrinam Frontonianam prodere. Iam Frontonem ipsum Gelliumque videamus. E quibus ille, quamquam *veteres* imprimis Catones Gracchosque appellat, tamen interdum cum eis etiam Ciceronem coniungit, ut pag. 114, 154; atque p. 62 *Quamobrem*, inquit, *rari admodum veterum scriptorum in eum laborem studiumque et periculum verba industriosius quaerendi sese commisere.* Sequuntur, quae de M. Catone aliisque veteribus censet. Deinde: *hic tu fortasse requiris, quo in numero locem M. Tullium.* Gellius autem inter veteres M. Tullium multis locis ponit. XII, 13,17. *Cordi ... mihi fuit ... quaerere ..., quonam modo veteres nostri particula ... usi sint, atque ... invenimus ... Tullium scripsisse ...* I, 4,8 postquam de Ciceronis verbis in Planciana de debitione pecuniae et gratiae multa disseruisse Iulianum rhetorem exposuit: *Ad hunc modum ... enodabat ... veterum scriptorum sententias.* I, 7,5 in certis Ciceronis verbis non vitium esse amicum demonstrasse narrat, sed eum *probe ac vetuste*[5]) locutum.

Iam repetamus, quae nobis demonstrasse videmur: Antiquus ille commentarius, qui omnes orationes Ciceronis complectebatur, recentior erat quam historici, antiquior quam rhetorici. Atque cum artis rhetoricae leges quas secutus est doctrinam II post Christum saeculi prodant, interpretandi ratio totaque scholiorum indoles ad Frontonis aetatem spectat. Itaque illius temporibus commentarium ipsum compositum esse elucet.

Iam cum de aetate commentarii constet, paulo accuratius disserendum est de consilio, quo interpres eum composuerit. Videtur autem id in animo habuisse, ut artem Tullianam in dicendis orationibus maximam ostenderet. Omnibus enim fere scholiis circumscriptis Ciceronis verbis eum, qui legit, monet, ut eximiae eloquentiae indolem agnoscat secumque reputet. Plerumque praemittit graecum artis rhetoricae verbum,

[5]) cf. schol. 251,12 *vetuste locutus est.*

quo tropum, figuram, genus argumenti significat; deinde explicat, quo consilio Cicero verba lemmatis protulerit et cur in his eloquentia oratoris eluceat. Saepius ut iam vidimus inter adnotationes etiam grammaticae inveniuntur, ita tamen illatae, ut omnino ad artem rhetoricam referantur. Atque patet etiam, quid scholiasta voluerit tali commentandi ratione plane rhetorica ex nonnullis eius scholiis, ut:

$240_{,23.}$ *Notemus igitur quasdam criminationes non pugnaci argumentatione, sed etiam festiva urbanitate dissolvi.*

$294_{,27.}$ *Aptissumis verbis et congruentibus, quoniam „naufragium" dixerat, custodivit sequentiam; quod ipsum nobis in omnia ἀλληγορικὰ servandum est.*

Vult igitur, dum, qui commentarium legunt, de eloquentia Ciceroniana edocet, dum eis imitandum M. Tullium proponit, eosdem in conficiendis orationibus adiuvare. Eam enim ob rem iterum atque iterum Ciceronis vim, copiam, elegantiam in dicendo summis laudibus effert atque his rebus investigandis demonstrandisque operam quam maximam adhibendam esse ipse testatur:

$233_{,1.}$ *Verum, quod hic magis animadvertendum puto, consideremus omnium horum capitum transitus oratorie factos.*

$261_{,21.}$ *Verum specta diligentius omnem contextum huius . . . ut intellegas oratorio more speciem quandam . . .*

$285_{,17.}$ *Haec explorato per totum cursum narrationis istius et multo altius adiecta cogitatione . . .*

$363_{,31.}$ *Animadvertamus tamen, quantis aculeis asperitatis talionem M. Tullius referat hic Torquato.*

$365_{,20.}$ *Verum mihi altius consideranti hanc omnem, quam localiter intulit . . ., occurrit vehemens et ad causam P. Sullae salubriter pertinens virtus.*

Eadem de causa saepius interpres Ciceronem defendit. Etenim, cum multis videretur in Sestiana de se plurima extra causam addidisse, in argumento ($292_{,21}$) *Itaque*, inquit, *Tullius ea peroravit, quae sibi fuerant explicanda: nec, ut plerique arbitrati sunt, extra causam vagatus est: quamvis enim sciamus ἐν παρεκβάσει multa Ciceronem vel iratum vel dolentem de passionibus suis ultra paene, quam res posceret, exaggerare solitum,*

tamen, quod hic . . . multum voluminis occupat, non mediocriter videtur ad negotium pertinere.

Eiusmodi adnotatio extat 296,5. ἐν παρεκβάσει *quidem videtur illorum temporum memoriam recensere; sed plurimum ad praesentem defensionem P. Sestii valet.*

Atque quamquam expressis verbis non dicit, tamen perspicitur eum defendere velle Ciceronem 297,1. *Mire sub commemoratione temporis sui defendit etiam causam P. Sestii, qui videtur similia fecisse.* 313,5 . . . *nec tamen recedit usquam a P. Sestii defensione, quoniam et ipsum pro republica videri studet ad restituendum dignitati suae Tullium laborasse.*

Ubi vero ipse eo adducitur, ut Ciceronem vituperet, eloquentiam illius tamen maximis laudibus effert. Ita in illo Sestianae argumento obiter tantum exaggerasse Ciceronem saepius commemorat. Ita semel de nimia eius superbia queritur, adicit autem (315,26.) *quamvis mereatur hoc testimonium tam insignis et nobilis eloquentia.* Multis etiam aliis locis ob hanc ipsam arrogantiam maxime admirandum M. Tullium videri exponit. Ut unum exemplum afferam: 270,7 *Mira*, inquit, *cum verecundia et moderatione et ceterorum ingenia depressit et suam in dicendo praestantiam omnibus anteposuit.* Bis tamen versus Ciceronis sibi non placere dicit[6]).

Est igitur interpres magister eloquentiae[7]), qui discipulis

---

[6]) 267,19. 306,13. neque tamen hic agendum de locis videtur, quibus Schillingius vituperari Ciceronem a Bobiensi censet (p. 26): 236,9. 265,26. 295,17. 368,30. Quod enim ibi propter *nimiam obscuritatem* M. Tullium reprehendi putat, id minime fit. Luculentissime haec sententia refutatur 368,30: *sensus quidem multae obscuratis est, cuius intellectus sic aperietur* . . . (Sequitur expositio de L. Torquato.) Dicit scholiasta M. Tullii verba a sui saeculi hominibus non facile intelligi, minime vero Ciceronem vituperat, sed interpretatione addita verba illius explicat. Neque 268,6 recte Schillingius iudicat Ciceronem reprehendi, quod epilogos *nimium flebiles* habuisset. nimium nihil habet reprehensionis, sed idem valet atque valde.

[7]) Itaque iudicium Schillingii adnotationes rhetoricas nihili esse non omni ex parte probare possum. Computandum enim est, an discipulis huius magistri prodesse eae potuerint. Et hoc ne Schillingius quidem negabit. Etenim et quod nomina graeca, saepe etiam latina figurarum, troporum, statuum adiecit, multum eos didicisse consentaneum est; neque interdretandi ratio omnino vituperanda est. Immo ut quaedam exempla afferam,

suis orationes Tullianas explicat eorumque studium ad eas imitandas incitat. Tamen in commentario ubivis adnotationes historicas deprehendimus, quas rhetorem ipsum composuisse credibile non est. Etenim cum ipse maximam vim in eo ponat, ut eloquentiam Tullianam demonstret cumque ante commentarios rhetoricos historicos fuisse viderimus, iam elucet non ipsum auctoribus laudatis usum esse neque illa scholia ipsum de suo confecisse, sed commentarium historicum rhetorem in suum transtulisse.

Itaque restat, ut illius quoque aetatem definiamus. In hac quaestione tractanda, cum potissimum sit auctores, quibus interpres usus est, percensere, quid, qui antea de his egerunt, demonstrasse sibi visi sint, hic exponam. Gaumitzius igitur enumeratis auctoribus, in quibus Nepotem fuisse ipse intellexit, ostendit Asconiano commentario Bobiensem in auctoribus laudandis simillimum esse neque tamen interpretem ex Asconio ipso adnotationes desumpsisse demonstravit, sed ne legisse quidem eius enarrationes. Schillingius autem accuratius probare conatus est praeter auctores a Gaumitzio commemoratos usum esse Bobiensem libris ipsius Ciceronis Livii Sallustii Asconii. Equidem sic rem agam, ut primum scholiastam commentariis aliis usum esse ostendam, deinde demonstrem Asconii ipsum eum non legisse denique quae de ceteris auctoribus dicenda sint addam.

Aliis igitur commentariis Tullianis usus est Bobiensis: hoc manifestum fit his locis:

298,7. Ad Sestianae verba: *Cum quidam in contione dixisset*, haec adnotat: *Videtur istic vel ipsum Pisonem, vel, quod ab aliis proditum est, Gabinium significare.*

331,32. ad verba Ciceronis: *Ut ille iudicio tamquam e naufragio nudus emersit* interpretanda scribit: . . . . . *nam*

---

mihi quae exponit de discretione (360,20), quam Cicero faciat in defendendo P. Sulla et de auctoritate testis quam sibi vindicat, (360,30) praeclara sane videntur et digna, quae etiam nunc legantur. Etiam quod de sententia post exemplum addita dicit (366,11) quamvis argutius, tamen haud prave expositum videtur.

partim trecena milia, partim vero, secundum opiniones aliorum quadringena accepisse dicuntur.

Iam intellegitur permultis locis quaestionem oriri, utrum ipse Bobiensis an commentator quo usus est auctores inspexerit, e quibus adnotationem desumpsit. Neque vero hoc certis argumentis confici potest, neque multum facit ad commentarii genus definiendum; sed nonnulla, quae verisimile omnino non videtur auctores tradidisse, a commentatoribus per manus data etiam in scholia Bobiensia pervenisse existimo. Ita Schillingius recte adnotat ex commentariis haec petita videri:

257,$_{12}$. *Significare autem candidatum videtur T. Ampium, suffragatorem vero Cn. Pompeium.*

324,$_{10}$. de C. Alfio: *qui repulsam meruit in praeturae petitione.*

354,$_{17}$. *Hanc enim causam lege Papia de civitate Romana apud Quintum Ciceronem dixit Archias huius M. Tullii fratrem.*

Addenda autem his videntur:

244,$_{9}$, cum quae ibi de subsignandi ratione habet apud annalium scriptores invenire non potuisset, verisimillimum est ex commentario haustum esse.

262,$_{6}$ certum videtur, cum ipse scholiasta, qui Vatinii accusationes saepius confuderit, id tempus accurate noverit, illa de *proximo reo* alii interpreti, quo usus est, debere.

320,$_{21}$ etiam C. Cethegum a. L. Aemilio Paullo accusatum esse verisimillimum est scholiastam ex alio commentario desumpsisse. Neque enim puto alium auctorem Cethegi mentionem fecisse, cum ne Sallustius quidem cui debet Bobiensis scholion de Catilina, eum commemoret.

Atque cum constaret interpretem ex aliis commentariis hausisse, iam Madvigius (l. l. p. 150) in eis quas affert rebus ex historia petitis Asconii verba sibi audire videbatur. Quaestio autem, an ei sua debeat, difficillima est, praesertim cum in una tantum oratione interpretanda uterque nobis praesto sit: in Miloniana. Tamen sententiae a Madvigio prolatae adstipulatos esse viros doctos video. Contra eam deinde Gaumitzius partem disputationis scripsit, qua com-

paratis inter se, quibus dissentiunt quibusque consentiunt, demonstrare conatus est Bobiensem Asconii commentarium non nosse. Tamen cum Schillingius refutato, ut sibi videbatur, Gaumitzio Madvigii sententiam ita tutatus sit, ut scholiastam Asconii commentariis leviter tantum et neglegenter usum esse contendat, denuo pertractanda est quaestio.

Initium autem sumendum est ab eis locis, in quibus eandem Ciceronis orationem explicant scholiastae. Itaque primum argumenta Milonianae inter se comparanda sunt. Narrat autem Asconius (p. 28.) Clodium rixa exorta vulneratum et in tabernam proximam in Bovillano delatum esse; scholiasta (p. 275,3.) *metu*, inquit, *peragitatus ad Bovillas in cauponulam quandam P. Clodius fugiens .... concessit.* Atque Gaumitzius Asconium ipsum quoque paulo post hanc de metu Clodii narratiunculam tangere dicit in oratione Scipionis enarranda. Ibi autem ita refert Metellus: (p. 30,15.) *Clodium ... abisse ... Milonem subito ... senatu misso cum servis ... armatis obviam ei contendisse et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum; ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis Bovillas perlatum. Tabernam, in quam perfugerat expugnatam a Milone, semianimum Clodium extractum ... in via Appia occisum esse.* Sed quod ex his verbis vir doctus concludit eandem esse scholiastae Bobiensis et hanc narrationem, erravit. Neque enim perfugere illo loco idem est atque fugere, sed in tabernam quasi in perfugium perlatum esse Clodium Scipio exponit;[8]) neque *metu peragitatus* est Clodius, sed tria vulnera accepit; neque illa taberna *ad Bovillas* ut apud Bobiensem est, sed Bovillae. His igitur expositis cum plane inter se dissentire videantur Asconius atque scholiasta ac ne ex illa oratione quidem hausisse Bobiensem manifestum sit, Schillingius eum e Livio narrationem desumpsisse putat. Atque quamquam negari non potest Livio usum esse scholiastam, tamen hoc loco opinioni Schillingii assentiri dubito. Haec

---

[8]) optime autem ad Scipionis consilium quadrat, quod *supra Bovillas* rixam exortam esse dicit. Apparet enim post Clodii fugam Milonem redisse viam Bovillas.

enim habet Cassius Dio (XL, 48,2.): ὁ γοῦν Μίλων . . τὸν Κλώδιον ἐν τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ συντυχόντα οἱ τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς πως ἔτρωσεν, ἔπειτα δὲ φοβηθεὶς μὴ ἐπεξέλθῃ τῷ γεγονότι, κατέσφαξεν. Haec cum Scipionis, non Bobiensis narratione congruunt. Itaque ab alio haec desumpsisse Bobiensem contendo.

Finis argumenti scholiastae ab Asconiano plane diversus est. Permulta ab hoc tradita omittit, addit actum esse de reo in aede Saturni, addit etiam decretum de caede in via Appia facta.

Sed pergamus iam ad singula scholia.

Explicat uterque scholiasta verbum *ambustus*. Atque Schillingius (p. 12.) hoc loco sua ex Asconio sumpsisse scholiastam Bobiensem affirmat. Ille autem haec profert (p. 280,5.): *Hunc vero ambustum tribunum plebis eapropter dicit, quod aut videri hoc velit ipso instigante incensam curiam, aut eundem ardentis curiae incendio esse deterritum, quominus diu contionaretur.* Duas igitur profert interpretationes, quarum quae recta sit dubitat; contra unam eamque unice rectam Asconius (p. 37,12.): *Contionati sunt ipso tempore plebemque in Milonem accenderunt, quo propter Clodi corpus curia incensa est; nec prius destiterunt, quam flamma eius incendii fugati sunt e contione.* Hanc explicationem si omnino nosset Bobiensis, suas, quarum altera perversa est, altera neque accurata neque ita ut omnia Ciceronis verba explicet expressa, non posuisset.

Venimus iam ad verba Ciceronis de eis, quae gesta sunt in senatu prid. Kal. Mart. In his enarrandis Asconius exponit T. Munatium Plancum impedivisse, quominus Hortensii sententia a senatu comprobaretur. Illum autem iussisse senatus consultum fieri: *P. Clodii caedem et incendium curiae et oppugnationem aedium M. Lepidi contra rempublicam factam esse et ut de ea re extra ordinem quaereretur apud quaesitorem.* Ex eis quae sequuntur patet Mommseni (cf. ephem. litter. Ien. 1844 p. 258) opinionem rectam esse, qui censuerat Munatium Sallustiumque ei parti rogationis Hortensianae intercessisse, quae apud ipsum Ciceronem verbis *ut veteribus*

legibus, tantummodo extra ordinem quaereretur, exprimitur. Scholiasta (p. 281$_{,34}$ sqq.) vero haec tradit: sententiam primo ita conceptam fuisse, *ut de illa caede veteribus legibus extra ordinem quaereretur*; divisione facta intercessum esse atque ita factum, *ut extra ordinem quidem quaereretur, non tamen vetusta, sed nova lege Pompeia.* In his scholiastae errorem esse verba Ciceronis male interpretantis iam Gaumitzius explicat. Patet autem eum si Asconii commentarium legisset, talia non scripturum fuisse.

Dicemus deinde de L. Domitio[9]. Hoc loco puto viros doctos Beckium[10] et Hoelzlium[11] deceptos similitudine nominis quod proferunt scholiastae non recte existimasse, quod aut Asconium aut Bobiensem in errorem incidisse dicunt; Gaumitzio (p. 28.) assentior utrumque verum tradere, sed de rebus diversis verba facere. Schillingii vero opinionem minime probare possum; existimat enim (p. 22.), quae in Livio, quem probabile est de his scripsisse de Manilio legerat, scholiastam cum Asconii commentario coniunxisse. Sed quam improbabilis haec sententia sit, ipse ostendit. Neque enim solum Bobiensem praeterea etiam argumentum Asconii aut aliam Ciceronis orationem amissam adhibuisse concedit sed etiam omnibus explicatis in nomine L. Domitii haeret illudque ab interprete res confundente falso traditum esse existimat. At si nomen, e quo tota res pendet, eicis, num omnino de interpretatione iudicari potest? Neque obstat Gaumitzii explicationi, quod et Asconius et scholiasta verbo obsidendi usi sunt neque quod inter Cn. Manlium et C. Manilium nominis similitudo intercedit. Sed haec omnia ad fidem historiae spectant, hoc, puto, nemo sibi persuadere poterit Asconio debere hic sua interpretem Bobiensem.

---

9) Asc. 39$_{,26}$. tradit Domitium, cum Cn. Manilius tr. pl. legem de libertinorum suffragiis per seditionem ferret eius coetum perrupisse atque multos Manilianos interfecisse. Bobiensis 284$_{,27}$ contra narrat Domitium Minucio, qui C. Manlium de maiestate accusabat obsessusque ab eo erat, auxilium tulisse.

10) quaestiones in Cic. pro Corn. or. Lips. 1877. p. 24.

11) fasti praetorii. Lips. 1876. p. 14.

Itaque, cum his scholiis comparatis negandum sit Asconii commentario eum usum esse, ab altera parte concedendum est Asconiana inesse scholiis Bobiensibus. Recte enim Gaumitzius inter se confert:

Asc: 60,27. *Leges Livias quas illis (sc. L. Marcio Sex. Iulio) consulibus M. Livius Drusus tribunus plebis tulerit. Qui cum senatus partes tuendas suscepisset*	*schol*. 282,32 . . . . *dicit de Livio Druso, qui consulibus Sexto Caesare et Philippo cum partes senatus in tribunatu suo contra plebem suscepisset* . . .

Neque tamen viro docto assentior, aut enarrationem Cornelianae ab Asconio compositam legisse Bobiensem aut ex eisdem libris utramque adnotationem fluxisse; quid rectum sit, demonstratur narrationibus de Fufio Caleno dividente sententiam Hortensianam. Asconius enim narrat (p. 38,21) eum divisionem sententiae postulasse, scholiasta autem (p. 281,3) *sive*, inquit, *Fufium Calenum* (sc. contra extitisse), *sive alius ille fuerit, videbimus.* Apparet Asconium haec ex actis ipsis eruisse, scholiastam in commentario sententiae de Fufio aliam aliunde petitam oppositam invenisse.[12]) Itaque demonstratum est Asconii ipsius enarrationes omnino non legisse Bobiensem, saepius autem in commentariis eis, quibus usus est, interpretationes illius repperisse atque in sua scholia transtulisse[13]).

[12]) Itaque hic defendendus est Bobiensis contra Schillingium. Is enim putat auctore quo sua debebat (sc. Asconio) non appellato sua scientia gloriari eum, praesertim cum de his postea nihil addat. At plus quam XXX paginae commentarii amissae sunt et Asconio usus non est.

[13]) Quare etiam quae intercedit inter 281,3 et Asc. 37,25 similitudo fortasse hoc modo explicanda est, quamquam ibi Bobiensis multo minus accurate res gestas narrat, quam Asconius; certius videtur ita iudicari de 330,2 et Asc. 65,19. — 321,1 autem (cf. 235,11) e Planciana videtur desumptum. Sed quod postea Schillingius Bobiensem scire miratur Vatinium filiam M. Antonii in matrimonio habuisse, haec ex fine capitis recte explicata comperuit. — Deinde 244,35 idem putat Bobiensem ex verbis Asconii male intellectis mutuatum esse; neque tamen credo errorem scholiastae hic subesse. Etenim agitur de bonis Valeriae intestato mortuae, quae Androni Sextilio in manum convenerat. „*Hoc autem iuris*, inquit, *observabatur*, *ut loco filiarum haberentur*, *quae in manum viris convenissent.* Vult ergo ni fallor, nos docere nullam propriam rem familiarem habere potuisse Valeriam. Atque id etiam ad illud

His confectis iam ad auctores, quos adhibuit scholiasta venimus. Atque hic eis quae Gaumitzius Schillingiusque scripserunt, pauca addenda sunt:

Optime, quomodo Cicerone usus sit scholiasta his locis demonstratur:

235,$_{31}$. *Quod ad reges pertineat . . . superatos, Tigranem significat Armeniae et Mithridatem Cappadociae regem.* cf. pro Flacco § 61, ubi Cicero Mithridatem *Cappadocem* appellat.

303,$_{13}$. *(Q. Numerium Rufum) nitedulam nominavit; quod videtur esse muris genus, ut apparet ex verbo . . . „adrodere.“*

305,$_{22}$. *Revera quidem S. C. de Cicerone revocando factum esse in Capitolio dicitur; quo magis movemur adseveratione Ciceronis, qui nunc dicat in templo Virtutis hoc esse decretum.* cf. 269,$_{2}$: *In templo scilicet Honoris et Virtutis, in quo actum primum videtur de restitutione Ciceronis.*

364,$_{10}$. *M. Cato ille Censorius et Ti. Coruncanius fuerunt e municipio Tusculano* e Planciana (cap. VIII.) desumpta sunt.

Praeterea, quamquam dubitari nequit, (cf. p. 311—313) quin Nepotis vitas Themistoclis, Aristidis, Miltiadis, Hannibalis exscripserit, mirum videtur adnotare scholiastam ad caput VII Flaccianae (236,$_{25}$): „*Tum optime meritos cives e civitate eiciebant*“: *Legimus enim duces maximos et illustres in exilium relegatos ab Atheniensibus vel etiam in vinculis necatos, ut Miltiadem, Themistoclem, Aristidem, Alcibiadem.* Neque enim verisimile est haec verba sumpta esse ex loco a Maio laudato, (Cic. de rep. I, 3) cum ibi Miltiadis tantum Themistoclisque mentio fiat. Itaque aut illa e Nepote de alio commentario descripsit aut deceptus est memoria.

Gravissimus autem est locus Plinianus ad definiendum commentarii tempus. Quare cum illo verba scholiastae comparabo, ne cuiquam dubium esse possit revera ipsius Plinii verba a Bobiensi excripta esse.

---

tempus pertinet quo illa mortua est, non solum ad id, quo vir. Quod hic evincitur: Nam iure cum mortua esset, bona ad virum pervenissent, nisi Flaccus se interposuisset.

Plin. II, 90. *Ad hoc perrupit mare Leucada, Antirrium, Hellespontum, Bosporos duos.* 91. *Atque ut sinus et stagna praeteream, ipsa se comest terra. Devoravit Cibotum altissimum montem cum oppido Curite, Sipylum in Magnesia et prius in eodem loco clarissimam urbem, quae Tantalis vocabatur* . . . . 92. *Pyrram et Antissam circa Maeotim Pontus abstulit, Helicen et Buram sinus Corinthius, quarum in alto vestigia apparent.*

schol. 232,11. *Sed ne originem civitatis eiusdem nude transcucurrisse videamur, antiquissimis haec temporibus Tantalis vocitata est, quam terra ipsa consumpsit . . ibique postea oppidum constitutum, cui Sipylo nomen inditum. Pleraeque aliae maris inundatione demersae sunt, quarum fuit Leucadia, Antirrion, Hellespontus, Bospori duo: ut Pyrram et Antisam circa Maeotim paludem Pontus abstulit: ut Helicem et Buram sinus Corinthius devoravit.*

His omnibus explicatis iam constat interpretem et prioribus commentariis usum esse et Cicerone, Livio, Sallustio, Plinio, minus accurate Nepote. Ipse autem ad fidem provocat Sinnii Capitonis (p. 342,14) et Tironiani libri de iocis Ciceronianis (p. 309,13.) atque etiam fabulas Pacuvii, Terentii, Accii, Afranii legisse videtur, nisi etiam illa e commentario sumpsit.[14]) Auctoribus igitur eisdem fere atque Asconium hunc commentarium uti Gaumitzius iam viderat: addendum est excepta una sententia Vergiliana[15]), quae rhetori II saeculi debetur, ne Bobiensem quidem auctorum, qui Augusti aetate floruerunt, mentionem facere.

Atque quod Asconius decipi sese non passus est orationibus suppositiciis, quarum eius aetate iam haud parvus numerus evulgatus erat, idem in interpretem Bobiensem cadit. Etenim ut ille (p. 84,4.) orationes Antonii Catilinaeque, quae habitae esse fingebantur contra orationem in toga candida Ciceronis, ne dignos quidem iudicavit quae legerentur sic interpres Bobiensis declamationem *Si eum P. Clodius legibus interro-*

---

[14]) etiam Asconius Caesaris tragoedias, Accii, Calvi legit.

[15]) 251,27: *forsan et haec olim meminisse iuvabit.*

gasset (p. 248,15) spuriam esse intellexit compilatamque ex ceteris orationibus Tullianis.

His rebus cum minime spernendus videatur scholiasta, ab altera parte enumerandi sunt loci, in quibus explicandis erravit.

De 235,32 et 236,25 iam dictum est (p. 59.)

244,26 proscidere Ciceronem dicit Laelium (pro Lucceio). Hoc gravius puto vitium, quam ut librario imputemus. Scholiasta ipse videtur nomina in Cicerone lecta confudisse.

249,13 quod Pisonem Campanum fuisse putat, in eum errorem scholiastam incidisse male intellectis Ciceronis verbis (de domo § 60 in Pison. 24) recte docuit Schillingius (p. 21).

270,20 vero tam inepta extat adnotatio de cervicibus candidatorum creta oblitis, ut eam ab eodem interprete, qui Livium (cf. lib. IV. c. 25,13.) Murenianamque (cf. § 49.) legit, originem ducere non possim, quin negem. Multo postea haec addita videntur.

309,24 dicit adversus legem Tulliam de ambitu fecisse Vatinium, *cum maxime ambiret ad obtinendum tribunatum.* Sed de petitione praeturae agi debere iam Halmius intellexit.

310,2, 322,18, 323,1 falso de Vatinii accusationibus referre omnes viri docti scholiastam viderunt. Atque cum aut adnotationes reiciendas censuissent aut ita interpretandas corrigendasve, ut cum Cicerone quodammodo consentirent, optime de illis causis iudicasse videtur Matthiesius,[16]) qui quater Vatinium in ius vocatum esse statuit: 696/58 ex lege Licinia Iunia, de qua re recte scholiasta disputat 310,8; anno 698/56 ex lege Tullia de ambitu, quo pertinent 269,15, 309,16, 324,2, 362,6; 700/54 ex lege Licinia de sodaliciis, de qua accusatione recte disserit interpres 262,6; 702/52 de vi e lege Plautia. Quae cum accuratissime disputata sint a viro docto, concedendum est interpretem in his locis errasse deceptum nomine accusatoris, qui in omnibus causis erat C. Licinius Macer Calvus. Itaque 310,2 non *de ambitu* res est,

[16]) De Calvi in Vatinium accusationibus: in Commentatt. philologic. Lips. 1874. p. 99. sqq.

sed e lege Licinia Iunia, $323,_{1}$. in eiusdem accusationis locum causam de vi substituit perverse, $322,_{18}$. legem Liciniam Iuniam cum Licinia de sodaliciis confudit.

$356,_{26}$ errasse scholiastam Madvigius (l. l. p. 152.) adnotavit. Nam cum Archianae § 9 Cicero dixisset Gabinii, quamdiu incolumis fuisset, levitatem, post damnationem calamitatem omnem tabularum fidem resignasse, haec de P. Gabinio Capitone dicta, qui praeturam gessit anno 665/89 de Aulo Gabinio, qui cum Pisone consul fuerat, accepit scholiasta, quamquam de eadem re in divinatione (§ 64) Cicero verba fecerat.

$364,_{12}$ M'. Curium Dentatum e Sabinis quod ortum putat, de eo errore iam Schillingius quae dicenda sunt adnotavit (p. 4).

Haec sufficiant, quamquam fortasse etiam aliquot leviores scholiastae errores addi possunt; quos tamen, quisquis scholia leget, facile ipse corriget.

Eis autem multas maximi pretii interpretationes opponi posse iam Schillingius (p. 21) demonstravit. Atque, ut nonnullas etiam eis quas laudat addam, nec de Leone gladiatore ($309,_{27}$), nec de edicto Racilii a Cicerone composito ($268,_{20}$) aliunde constat neque de Cethego a L. Aemilio Paullo de vi accusato nobis ab auctoribus traditum est. Etiam quae de Afranii togata (p. $305,_{10}$) de Pacuvii Ilione (p. $307,_{5}$), de Accii Eurysace (p. $305,_{29}$. $306,_{1}$). adnotat, antea ignota erant.

His enarratis iam, quid de hoc interprete compertum habeamus, breviter complectamur: constat commentarium historicum a Bobiensium scholiorum primo auctore ascitum eandem interpretationis rationem secutum esse atque Asconium, historicam scilicet; constat eum in laudandis auctoribus eadem atque illum tempora respexisse; constat tamen eum et aliis commentariis usum esse, id quod Asconius nusquam fecit, et ex Plinio quaedam verba hausisse. Itaque historicum commentarium I saeculo ad finem vergente compositum esse patet.

Finem faciam dissertationis ita, ut paucis repetam quae mihi demonstrasse videar.

Scholia Bobiensia, ut nobis servata sunt, excerpta videntur ex commentario IV saeculi, in quo quot quoque ordine dispositae Ciceronis orationes extiterint nobis diiudicare non licet. Erat autem ille commentarius retractatio commentarii historici rhetorici II saeculo compositi qui omnes orationes Tullianas secundum temporis rationem dispositas continuerat. Hunc qui composuerat magister eloquentiae historicas adnotationes ex commentario I saeculi ad finem vergentis in suum transtulerat.

Erravit typotheta quamquam saepius correxeram multis locis. Gravissima haec extant vitia:

p. $4_{,9}$.	Bobiensa	l. Bobiensia.
p. $20_{,35}$.	differe	„ differre.
p. $46_{,8}$.	interpretatones	„ interpretationes.
p. $46_{,9}$.	rel	„ vel.
p. $52_{,28}$.	obscuratis	„ obscuritatis.
p. $52_{,39}$.	interdretandi	„ interpretandi.
p. $58_{,25}$.	quo	„ cui.
p. $60_{,33}$.	dignos	„ dignas.
p. $61_{,17}$.	ducere non	„ ducere, facere non.

Auctor de vita sua.

Natus sum Ioannes Paulus Hildebrandt die XXI mensis Iulii anni h. s. LXX Berolini patre Paulo matre Selma e gente Rauh. E quibus ille mihi apud Spicheren gravissime vulneratus parvulo ereptus est, hac adhuc superstite valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis domi imbutus auctumno anni LXXIX inter discipulos receptus sum gymnasii regii Guilelmi, quod tum florebat et adhuc floret auspiciis O. Kuebleri; in quo usque ad annum LXXXVIII permansi. Ibi quanta erga me fuerit benevolentia liberalitasque hominum doctissimorum atque humanissimorum Gleditschi, Hirschfelderi, Schleei, qui etiam post discessum meum studiorum adiutores se praebuerunt, grata memoria semper retinebo.

Maturitatis testimonium adeptus Berolinensis universitatis civibus academicis ascriptus sum. Unde sex tantum menses moratus maxime ob reficiendam valetudinem Lousonnam migravi ibique sex menses peregi. Deinde per singulos annos Berolini Monachique scholas frequentavi. Post almam matrem Georgiam Augustam adii Gottingaeque per quinquies sex menses litteris me dedi. Quod superest tempus, Berolini studiis navavi.

Docuerunt me viri humanissimi:
Aegidi, Diels, Huebner, Kirchhoff, Koser, Naudé, Paulsen, Robert, Simmel, Sternfeld, de Treitschke, Vahlen Berolinenses;
Baudat, Besançon Lousonnenses;
de Brunn, Riehl, R. Schoell †, de Woelfflin Monacenses;
Bousset, Gercke, Leo, Sauppe †, Volquardsen, Weiland, Weiss, de Wilamowitz-Moellendorf, Ziebarth Gottingenses.

Ad exercitationes philologicas Schoell et Vahlen, historicas Volquardsen et Weiland aditum mihi benigne permiserunt.

Seminarii philologici Monacensis per bis, Gottingensis per quinquies sex menses sodalis fui (per sex menses senior).

Cum omnibus, qui me docuerunt viris gratias agam candidissimas, tum Rudolfi Schoelli acerba morte nobis praerepti atque Udalrici de Wilamowitz quanta erga me extiterint merita nunquam obliviscar. Friderici vero Leonis beneficia adiutoris fautorisque studiorum meorum, cui, si quid hac dissertatione profeci, unice me debere libenter fateor, grata memoria me semper servaturum iterum atque iterum spondeo.

Druck von G. Zahn & H. Baendel, Kirchhain N.-L.

Druck von G. Zahn & H. Baendel, Kirchhain N.-L.